V. P. NICOLAI LANCICII

E SOCIETATE JESU

OPUSCULUM SPIRITUALE DECIMUM SEPTIMUM.

180-C-2

V. P. NICOLAI LANCICII
E SOCIETATE JESU.

DE PRAESTANTIA INSTITUTI SOCIETATIS JESU.

Editio recens emendata

OPERA

AUGUSTINI ARNDT S. J.

1/4296

Rist 7

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California
060.154
L224

CRACOVIAE.
E TYPOGRAPHIA VL. L. ANCZYC ET SOCIORUM.
Provisore Joanne Gadowski.
1890.

6524

Opusculum V. P. Nicolai Lancicii e Soc. Jesu: *„De Praestantia Instituti Societatis Jesu“* denuo typis edi permittimus, si ita eis, ad quos spectat, videbitur.

Cracoviae die 19 Martii 1890.

M. Mycielski S. J.

Nr. 2878.

IMPRIMATUR.

Cracoviae die 2 Augusti 1890.

† A. Card. Dunajewski.

Praefatio Editoris.

Quamquam V. P. Nic. Lancicius hoc Opusculum unice in privatam utilitatem fratrum suorum composuit, tamen P. Joannes Chodzyński, ejus quondam in schola affectuum discipulus, illud publici juris faciendum esse censuit. Movebat eum ipsa operis dignitas et multorum Societati maxime addictorum vel ad eam adspirantium utilitas. Multum porro arbitrabatur Religionem hanc, post Deum Sociis adamatam, splendoris inde accepturam, hostium vero impetus victoriose iri retusum.

Patris Chodzyński exemplum secutus ipse V. P. Lancicius in editione Operum suorum, quam anno 1650 curavit, non dubitavit hoc Opusculum una cum reliquis in publicum usum edere. Hac ipsius Auctoris editione in nostra paranda usi sumus.

Possunt utique multa eaque praeclara addi eis, quae P. Lancicius de Instituto exhibet, sed ea, quae offert, ne hoc quidem tempore utilitate carere videntur.

In votis est maxime publici juris facere V. P. Lancicii „Exercitia S. Ignatii illustrata, quoad omnes doctrinas ejus, sententiis SS. Patrum“. Sed ut perditi manuscripti vestigium inveniremus, nondum contigit.

Vale, lector amice, et ut in hac Sancta Societate ad finem usque perseverantes supremum obeamus diem, pro me et omnibus ora.

Cracoviae die 25 Julii 1890.

Augustinus Arndt S. J.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

De Revelatione Instituti Sancto Ignatio facta.

		Pag.
Caput	I. Institutum Societatis Iesu quoad substantialia et quaedam non substantialia est S. Ignatio divinitus revelatum et ab eo prophetice praedictum multo antequam Societatem Iesu Parisiis inchoasset Romae et fundasset	1
Caput	II. Idem confirmatur auctoritate Summorum Pontificum	30
Caput	III. Idem confirmatur ratione	50
Caput	IV. Solvuntur objectiones	61
Caput	V. Explicantur supradicta et confirmantur magis	85
Caput	VI. Explicatur modus, quo Deus immediate per se non per Angelos, revelavit S. Ignatio res nostri Instituti	104
Caput	VII. Recensentur eae res Instituti Societatis, quae immediate sunt a Deo ipso revelatae S. Ignatio	133
Caput	VIII. Qua ratione S. P. N. Ignatius cum primis Patribus deliberaverit Romae de Societate instituenda	154

LIBER SECUNDUS.

Pag.

CAPUT I. De magnis Dei favoribus erga Societatem Iesu 163

CAPUT II. De Coelitum favoribus erga Societatem Iesu 193

CAPUT III. De benevolentia erga Societatem Iesu personarum illustrium sanctitate vitae et a Sede Apostolica canonisatarum, quae primo saeculo Societatis vixerunt 210

CAPUT IV. De aliorum Sanctorum nondum canonisatorum erga Societatem Iesu benevolentia 228

CAPUT V. Responsio ad ea, quae Societatis hominibus objiciuntur 243

LIBER PRIMUS.

De Revelatione Instituti Sancto Ignatio facta.

CAPUT I.

Institutum Societatis Iesu quoad substantialia et quaedam non substantialia est S. Ignatio divinitus revelatum et ab eo prophetice praedictum multo antequam Societatem Iesu Parisiis inchoasset et Romae fundasset.

In Instituto Societatis Iesu tria possunt considerari et veluti in tres partes distribui. Primo, sunt quaedam veluti essentiales et substantiales partes Instituti. Secundo, sunt aliae non essentiales, stabiles tamen, et omnino necessariae et ubique observandae. Tertio, sunt aliae veluti accidentales, quae pro ratione locorum, temporum, nationum, variari ac mutari, et, cum debita causa et dispensatione, etiam aliquando omitti, seu non servari possunt. Conabor ergo in primis hujus Opusculi capitibus ostendere, S. Ignatio et essentialia et quaedam non essentialia esse divinitus revelata proprie et theologice dicta revelatione prophetica, et quidem revelatione supremi ordinis et gradus, et ab eo multo

ante inchoatam Parisiis et fundatam Romae Societatem praedicta.

Primo, quod essentialia sint ei a Deo revelata, hoc ipse Sanctus Pater Ignatius fassus est P. Iacobo Laynez, teste Ribadeneyra et Orlandino [1]). Audiamus Ribadeneyram a S. Ignatio in Societatem receptum ante eum annum, quo Societas confirmata est, scilicet ante 1540, et multorum S. Patris secretorum conscium (uti ipsemet testatur in epistola ad Fratres Societatis, praefixa Vitae S. Ignatii a se scriptae): *Patrem Iacobum Laynem*, inquit, *qui omnium Sanctorum vitas et ortus omnium Ordinum progressionesque legerat, sciscitatus est aliquando Ignatius, quod ejus esset de Regulis illorum Patrum Constitutionibusque judicium, qui auctores ipsarum Religionum atque parentes extiterunt: num scilicet, quae litteris mandassent posterisque suis tradidissent, ea omnia per revelationem accepissent. Cui Iacobus propius fidei esse respondit, gravissima et maxima quaeque Instituti cujusque quasi fundamenta a Deo, qui omnium Religionum fons est, Patribus illis tradita fuisse; reliqua, quae minora sunt et naturam ipsam Religionis proprie non attigunt, Deum prudentiae illorum, qui leges condiderunt, judicioque reliquisse. Sicut etiam fecisse videmus cum pastoribus ac principibus Ecclesiae in iis, quae ad ejus pertinent gu-*

[1]) Ribaden. Vita S. Ignatii l. V. c. 1. Orlandin. Histor. Societ. Iesu p. I l. X. n. 65.

bernationem. Tunc Ignatius: Tecum plane sentio. Hinc Pater Ribadeneyra hanc conclusionem merito deducit: *Ex quo*, inquit, *conjicere licet, quae propria sunt et praecipua nostrae Societatis firmamenta, ea Ignatium divinitus accepisse. Cum vero de re aliqua leviori deliberabat, in qua divinam lucem non haberet, a Patre Lagne scisciitatum fuisse, ut videlicet illius consilium exquireret et apud se statueret, utrum posset pariter rem illam praescribere absque Dei revelatione, atque alias coelesti lumine collustratus scripsisset.* Haec Ribadeneyra, quibus prorsus similia scribit ea de re Orlandinus.

Secundo, non tantum essentialia Instituti, sed etiam alia quaedam, et quidam multa et non adeo magni momenti (uti sunt, quod Societas non habeat chorum, nec vestes peculiares, et quod habeat peregrinationes inter experimenta secundae et tertiae probationis), S. Ignatium divinitus edocium fuisse, ipsemet aperte dixit anno 1555 17. Febr. Patri Ludovico Consalvo de Camera, qui id adnotavit in Diario a se scripto dictorum et factorum S. Ignatii. Erat hic Pater Ludovicus Consalvus tunc Minister Domus professae Romanae, missus Romam a Ioanne tertio, Rege Lusitaniae (ut scribit Ribadeneyra [1]), *ut omnia Ignatii dicta factaque curiose observaret et ad se diligenter perscriberet.* Hic P. Ludovicus Consalvus hac occasione, cum cogeretur paene

[1]) Ribad. Vita S. Ignat. lib. IV c. 17.

quotidie tanquam Minister domus S. Patrem adire, confecit diarium, in quo praecipua S. Patris Ignatii dictamina, quae tunc ab eo audiebat, ejusque dicta et facta, partim hispanica, partim lusitanica lingua annotavit.

Quod diarium, dum Pauli Quinti auctoritate fierent processus pro canonisatione S. Ignatii, vigore (ut vocant Romani Curiales) litterarum compulsorialium, insertum est in processum Madridiensem, coram Commissariis Apostolicis Bernardo de Sandoval et Rojas, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinale et Archiepiscopo Toletano, et Melchiore de Soria Vera, Episcopo Trojano. Hoc diarium mihi postea accommodatum a Patre Claudio Aquaviva Generali (tunc, cum essem per sex annos adjutor P. Nicolai Orlandini in colligenda materia ex scriptis nostri archivii Romani pro historia Societatis) verti italice et penes me habeo et conservo tanquam pretiosum thesaurum.

In hoc diario scribit Consalvus *et tria illa paulo ante commemorata et alias multas res in Societate ordinatas, dixisse sibi P. Ignatium, se intellexisse Manresae in una magna illustratione intellectus a Domino Nostro manifestatas*[1]). Et quidem scripsit P. Consalvus, P. Ignatium hoc sibi dixisse ultimo loco, postquam rerum a se ordinatarum alias humanas causas et rationes attu-

[1]) Pag. 50 H. cfr. Orland. lib. X n. 65. 66.

lisset. Manresae autem S. P. Ignatius primo post conversionem suam ad Deum anno vitam in summa austeritate egit, nunquam postea ibi mansit.

Et in Historia manu scripta a P. Hieronymo Natali sunt haec verba in Romano archivio, ei a S. Ignatio dicta: *Cum de Institutione rogaretur, solebat causam referre ad eximiam illustrationem, quam illi Deus gratificatus est Manresae, quae illa omnia accepisset a Domino, in spiritu quodam architectonico.* Quantus autem vir fuerit P. Natalis, hinc patet, quia a S. Ignatio receptus in Societatem, ejus intimus, et aegrotantis in tota Societate gubernanda Vicarius, et primus Constitutionum nostrarum promulgator ac interpres fuit, a S. Ignatio ad varias Societatis provincias missus, et post S. Ignatii mortem a successore ejus P. Iacobo Layne, ut scribunt Orlandinus et Sacchinus [1]).

Porro, ut fides adhibeatur testimonio hujus P. Ludovici Consalvi, sciendum est, eum tantae auctoritatis et fidei fuisse apud S. Ignatium, ut, cum ab eo Societas diu petiisset, ut vitam suam narraret alicui pro solatio filiorum suorum, et is diu reluctatus fuisset, tandem anno 1553 4. Augusti Patri huic Consalvo ad se advocato

[1]) Orland. lib. XII n. 32. 34. Et lib. XIII n. 7. 45. 50. Et lib. XIV n. 17. Sacchin. Hist. Societatis Jesu p. II. lib. II n. 46. lib. IV n. 23. 196.

(postquam ab eo rationem conscientiae accepisset) dixerit, se ad instantiam Societatis ipsi vitam suam velle manifestare (uti postea per partes manifestavit) eo animo, ut, quae ab ipso audivisset, scripto annotaret. Is vero, (ut scribit Ribadeneyra) *post exquisitam rerum omnium perrestigationem scribit* [1]). Scripsit ergo P. Consalvus vitam S. Patris ab eo sibi manifestatam, cujus exemplar tanquam singulare munus paulo ante mortem dono accepi a Reverendo Patre Ludovico Massello, tunc Assistente Societatis pro Italia, mortuo an. 1606, mense Iulio.

Idem P. Ludovicus Consalvus, antequam Romam venisset, fuit confessarius principis Lusitaniae, teste Ribadeneyra. Deinde mortuo S. Ignatio fuit electus Assistens Societatis sub Generalatu P. Laynez pro Provinciis Lusitaniae, Brasiliae, Aethiopiae et Indiae Orientalis, uti scribit Sacchinus. Mortuo vero P. Layne reversus est in Lusitaniam, ubi deinceps fuit confessasarius Sebastiani, regis Lusitaniae.

Hujus illustrationis narratae a S. Ignatio Patri Consalvo honorificam mentionem faciunt et ad eam referunt leges a S. Ignatio Societati relictas, tanquam ab eo cognitas divinitus [2]), Ribadeneyra et Orlandinus, ut jam dicam [3]).

Tertio, hoc ipsum (nimirum quod non tan-

---

[1]) Rib. Vita S. Ign. lib. IV c. 17. [2]) Sacchin. p. II lib. II n. 46. [3]) Rib. lib. V c. 5. et 11. Orl. lib. X n. 65.

tum essentialia, sed quaedam etiam alia Deus S. Ignatio revelavit ad Societatis Institutum spectantia) testatur P. Ribadeneyra his verbis: *Si sensum animi sui eamque voluptatem atque adeo utilitatem, quam ex cantu magnam capiebat, sequi suoque indulgere genio voluisset (mirifice enim recreabatur ejus mens musica atque incitabatur in Deum), se chorum in Societate instituturum (me audiente) dicebat, sed illum se praetermisisse, quod Deo magistro atque auctore didicisset, praeclarum quidem in choro canendi esse munus atque sanctissimum, sed minime ad illud nos a Deo esse vocatos. Aliam nostri Instituti rationem, alia propria nostrae Religionis esse munia*[1]). Abstinentia autem a choro non est quid essentiale in Societate. Proinde etiam non essentialia Deus S. Ignatio revelavit.

Quarto, hoc ipsum indicat alio in loco Ribadeneyra: *Multa*, inquit, *instituebat, quorum consilia (quod occulta essent) aut ratione parum consentanea nonnullis, aut admirabilia certe videbantur: sed tamen eorum exitus exquisitum spiritum reconditamque prudentiam declarabant Ignatii, qui ante languorem adhibuisset medicinam, cuique futura tam sollerter praevisa fuissent et praecauta. Atque haec quidem admirabilis atque divina prudentia, qua omnibus in rebus utebatur Ignatius, ex copioso illo ac coelesti lumine derivabatur, quo ejus*

[1]) Ribad. lib. V c. 5 in fine.

anima illustrata non solum praesentia cernere, sed etiam futura prospicere videbatur. Apparet enim, illi Deum ab initio (scilicet conversionis suae) *universae Societatis progressum cursumque divinitus ostendisse et, quam suaves et uberes fructus ex arbore, quam ipse Ignatius plantabat, dante incrementum Domino, S. Ecclesia perceptura esset. Quod ex multis conjicere licet*[1]).

Porro magnae auctoritatis debet esse apud omnes testimonium P. Ribadeneyrae, quia bis diversis temporibus juridice examinatus jurejurando testatus est, *in edita a se Vita Beati Ignatii se nescire, quod aliquid adsit, quod falsum sit, et id quod dicit se vidisse, vidit, et quae audivisse dicit, audivit, et sic de aliis rebus, quae in praedictis vitis continentur.*

Et quidem Vita S. Ignatii, quam P. Ribadeneyra, jussu P. Borgiae Generalis scripserat, primum edita est Neapoli in octavo, anno 1572, ex typographia Iosephi Cacchii, subscripta a Petro Dusina Vicario et Ioanne Francisco Lombardo. Deinde altera copiosior multo quam anno 1586, excusam Madriti apud viduam Alfonsi Gometzii, latine edidit jussu P. Claudii Aquavivae Generalis, et prius hispanice. Tandem tertiam hispanice in folio edidit, impressam Madriti per Ludovicum Sanchez, tanquam compendium duarum priorum, primum anno 1604, postea anno 1609

[1]) Ribad. lib. V c. 11.

(cui adjecit Decretum de Beatificatione et Missa Beati Ignatii a Paulo V. concessum), cui compendio rerum antea fuse scriptarum adjecit multa nova, praesertim miracula et gratias gratis datas S. Ignatii recenset, quae in prioribus vitis non commemoraverat, quia tunc nondum erant facti processus pro canonisatione S. Ignatii, ex quibus multa didicit, quae antea non tam certo cognoverat. Confirmavit autem P. Ribadeneyra juramento veritatem rerum a se in duabus prioribus Vitis scriptarum, primo circa annum 1595 coram Camillo Patriarcha Alexandrino, tunc Nuntio Apostolico in Hispania, secunda vero vice anno 1606 in Octobri, octogenarius, coram supra nominatis Commissariis Apostolicis, Archiepiscopo Toletano et Episcopo Trojano, et duarum priorum et tertiae veritatem jurejurando asseruit.

Hoc Compendium, italice redditum a Salustio Gratiano Senensi, editum Venetiis anno 1606 a Ioanne Baptista Cierro, et recusum Genuae anno 1619 a Iosepho Pavone, et latine redditum ex hispanico et in capita distributum a Gaspare Quartemontio cum graeca interpretatione e regione apposita, impressum Augustae Vindelicorum anno 1616, postea positum 31. Iulii. in posteriore editione Vitarum Sanctorum Laurentii Surii, impressarum Coloniae anno 1618 sumptibus Ioannis Krebs et Hermanni Mylii.

Quinto, hoc ipsum confirmatur alio dicto

S. Patris Ignatii et testimonio P. Consalvi supra dicti, qui in fine vitae sibi a S. Ignatio narratae scripsit, P. Ignatium sibi dixisse haec inter alia: *Se semper crevisse in devotione, id est in facilitate inveniendi Deum, , et nunc plus quam unquam in vita sua, quia qualibet vice et hora, qua vellet invenire Deum, illum inveniebat; et quod habebat etiam tunc multas visiones, maxime illas, de quibus supra dictum est, sicut videre Christum tanquam solem; et hoc illi accidebat saepe, ambulando, loquendo de rebus magni momenti, et hoc faciebat illum venire in confirmationem* (scilicet Constitutionum, quas tunc scribebat). *Quando faciebat missam, habebat multoties, quod et nunc potest affirmari facilius, quia quolibet die scribebat id, quod transibat per animam suam, et hoc inveniebat nunc scriptum, et mihi ostendit unum fasciculum satis grandem chartarum, quarum mihi legit aliquam partem, et major pars erant visiones, quas ipse videbat in confirmationem Constitutionum, videndo aliquando Deum Patrem, aliquando omnes tres personas Trinitatis, aliquando Beatam Virginem intercedentem et confirmantem saepe.* Haec ad verbum ex dicta vita scripta a P. Consalvo, quam penes me habeo ex Romano originali descriptam [1]).

Ideo haec historia cum aliis multis a me P. Claudio Aquavivae Generali, Romae dum essem,

[1]) Manuscr. P. Consalvi pag. 74. 75.

anno 1600 propositis et ab eodem P. Claudio Aquaviva cum omnibus Patribus Assistentibus ad hoc specialiter vocatis fuit accurate examinata et approbata, ut vulgaretur et imprimeretur, prout fuit impressa primum Romae anno 1600, tempore Iubilaei Clementis VIII, deinde anno 1609, pag. 65. in libello Imaginum ejus vitam continente, cum hac subscriptione: *Societatis Iesu Constitutiones frequentibus Sanctissimae Trinitatis apparitionibus atque illustrationibus, Beatissima item Virgine saepe visa atque illas approbante, conscribit.* Quae historia in alio libello Imaginum vitae S. Ignatii, inciso et impresso Augustae anno 1622 et a Collegio nostro Augustano Serenissimo Principi Maximiliano Duci Bavariae dicato, impressa cum iisdem verbis fuit, et posita est pag. 76.

Secto, hoc ipse S. P. Ignatius, etsi modestiae causa parce, tamen manifeste initio Constitutionum dicit: *Summam sapientiam et bonitatem Dei Creatoris nostri ac Domini hanc minimam Societatem inchoasse.* Et in ultima, hoc est decima parte Constitutionum, clarius hoc ipsum explicat, et omnia humana media excludens (inter quae est naturalis prudentia, doctrina, experientia, lectio librorum spiritualium, consideratio aliorum Ordinum, et his similia) sic ait: *Quia Societas mediis humanis instituta non est etc., sed per gratiam Omnipotentis Dei ac Domini nostri Iesu Christi, in eo solo spem constitui oportet, quod conservatu-*

rus sit et promoturus hoc opus, quod ad obsequium et laudem suam et auxilium animarum inchoare dignatus est.

Septimo, hoc ipsum S. P. Ignatius clarius fassus est P. Everardo Mercuriano, qui, cum esset factus Praepositus Generalis Societatis, hoc ipsum in publica exhortatione, quam ad nostros Romae habuit, dixit et narravit, praesente et audiente P. Aegidio Gonzalez, suo tunc Assistente pro Hispania et Indiis Occidentalibus. Quod ita recenset P. Ludovicus de Palma, Provincialis Toletanus, in prima parte Itineris spiritualis, hispanice edita et impressa Compluti a. 1625 et latine ad verbum sic habet: *Dico, per medium istorum exercitiorum locutus est Deus cum S. Ignatio, et labia sua ei aperuit et illi detexit, quod tenebat absconditum in secretis suae sapientiae (quod fuit idea et modellum istius Religionis) etc. Idque ita esse, scimus ex constanti traditione nostrorum primorum Patrum. Et P. Aegidius Gonzalez affirmat in quodam excellenti Directorio, quod scripsit super Exercitia, et ego ipse audivi illum dicentem, quod noster P. Everardus, quartus Generalis, dum ipse esset praesens, dixerat in una exhortatione, se audivisse ex ore S. Ignatii, quod in exercitio de duobus vexillis,* (quod fecit Manresae primo post suam conversionem ad Deum anno) *illi Deus detexerat hoc secretum et posuerat ante oculos formam et modellum Societatis.* Haec

ad verbum hispanice P. Ludovicus de Palma in libro citato [1]).

Post haec a me scripta incidi in aliud ejusdem P. Ludovici de Palma, bis Provincialis provinciae Toletanae, multoties Rectoris Collegiorum et Praepositi Domus professae officiis functi, tale testimonium: *Ego Ludovicus de Palma annorum octoginta unius, Societatis vero sexaginta sex, testimonium do, multis me abhinc annis audivisse P. Gilliam Gonzalez dixisse, se, dum adstaret domesticae concioni, quam ad nostros habebat P. Everardus Mercurianus, Societatis Iesu Praepositus Generalis, audivisse inter alia ab eo, Deum, dum S. P. Noster Ignatius de Loyola in primis conversionis suae rudimentis spirituales exercitationes Manresae conscriberet, ad exercitium vexillorum illi revelasse universam Societatis Iesu fundandae methodum, totum artificium atque integram structuram: id S. Patrem Ignatium ipsi Everardo fassum esse, id ab hoc audivisse P. Gilliam, id hunc referre solitum, de hoc me praesente pluries collocutum ad nostros. Cujus revelationis fama sic in hac provincia pervebuit, ut nihil unquam dubitationis passa sit, adeo semper insedit omnium animis etc. In quorum fidem ac testimonium certum hanc paginam manu nostra subscriptam do. Madriti in Collegio Imperiali nostrae Societatis, die 5. Febr. anno 1641.*

Et P. Andreas de Cazorla, aetate prope octo-

[1]) Ludov. de Palma S. J. Iter spirituale p. I lib. V c. 2.

genarius, testatur, hoc ipsum sibi narrasse scribentique dictasse P. Aegidium Gonzalez, Provincialem Visitatoremque omnium Hispaniae provinciarum et P. Everardi, quarti Generalis, pro Hispaniis Assistentem, et haec eadem ab ipso Sancto P. Nostro Ignatio ejusque sociis audivisse, nimirum: *In meditatione de Regno Christi Deum impressisse menti S. Ignatii ideam et finem Societatis in recessu Manresano.* Ita testatus est 29. Ianuarii anno 1641 Hispali in Domo probationis Societatis Iesu.

Porro tantae auctoritatis fuit in Societate P. Aegidius Gonzalez, ut, dum iret ad tertiam Congregationem Generalem cum P. Martino Guttierez et P. Ioanne Soario essetque captus a Gallis et conjectus in carcerem et tunc fungeretur officio Provincialis Castellae, post electum Generalem P. Everardum Mercurianum electus fuerit a Societate universa in illa Congregatione Generali in Assistentem Hispaniae et Indiarum Occidentalium, quamvis esset absens, utpote incarceratus in Gallia ab haereticis. Quod patet ex Actis manu scriptis tertiae Congregationis, post Decretum 27.

Octavo, idem manifeste apparet, ex praedictione facta Antverpiae multis annis ante jacta fundamenta Societatis a S. P. Ignatio, qui in mercatorum corona (ut scribit Orlandinus et Ri-

badeneyra [1], *fertur praecipue in juvenem in Methônna Campi, Petrum Quadratum nomine, obtutum fixisse, et se vocatum monuisse, grates ut ageret Deo, a quo electus esset, qui olim in sua patria Societatis Iesu Collegium conderet.* Contigit hoc circa annum 1528.

Et quamvis Orlandinus hanc historiam referens utatur verbo *fertur*, non dubitationis de veritate, sed modestiae signum est has ob causas: *Primo*, quia Orlandinus statim subdit, hanc fuisse *praedictionem Ignatii multis post annis comprobatam. Secundo*, quia disertis verbis ex eo deducit, jam tunc habuisse Ignatium cognitum ex divina revelatione Societatis Iesu Institutum. Sic enim Orlandinus scribit: *Ex ea vero*, scilicet praedictione, *manifestum sit, jam tum fuisse certum Ignatio, ut scilicet revelatum divinitus, fore, ut religiosum coetum ipse fundaret* [2]). *Tertio*, quia etiam prudenti ratione hoc ipsum confirmat his verbis: *Et sane tot annorum tamque graves studiorum labores non videntur ei acturi et rerum divinarum gustui futuri fuisse tolerabiles, nisi divinus quispiam monitus (qui de exitu dubitare non sineret) praevisset, quem tamen ille donorum hujusmodi sagacissimus occultator planius explicare noluerit* [3]). *Quarto*, quia idem Orlandinus ponderans, non potuisse humano consilio socios novem diversarum

[1]) Orland. lib. I n. 66. Ribaden. lib. IV c. 4 et Par. de proph. (III ed.). [2]) Orland. ib. [3]) Ibid. n. 74.

nationum, nulla conjunctione sanguinis aut amicitiae necessitudine aut vetere notitia junctos, nec eodem tempore omnes Parisiis congregatos, nec eundem scopum studiorum ac propositum habentes, in eam inter se et cum Ignatio Societatem coalescere, *praesertim quod et Ignatius* (ut verbis finiam Orlandini,) *homo erat adhuc iis ignotus idemque sua voluntate propter Christum factus egenus, nihil amplitudinis in hac vita, nihil splendoris affectans, sociorumque non modo vitae genere, verum etiam ipsa natura dissimilis. Declarabat quippe tum omnibus aeterna illa Majestas, altissimae suae fuisse dexterae, non imbecillitatis humanae tanti operis motionem, cujus ne quam sibi partem humana arrogaret industria, divina prorsus comparatum est voluntate, ut Religionis condendae consilium, sicut in aeternae delitescebat mentis arcanis, ita nemini ex sociis praeter Ignatium, cui, ut supra demonstravi* (n. 66.), *revelatum divinitus non obscuris constat indiciis, veniret in mentem.* Ex his plane constat, rem hanc Orlandinum tanquam certissimam retulisse, nec enim ex incerta narratione et divinam revelationem Ignatio factam et ex illa praedictionem Ignatii derivatam tanquam res manifestas deduxisset. *Quintō*, quia simili loquendi modo etiam Ecclesia per verbum *fertur* certissimas recenset historias et Sedes Apostolica in Pontificiis Bullis. Nam, ut omittam alia, in Martyrologio Romano 6. Decembris sic legimus de S. Nicolao: *Inter plura*.

miraculorum insignia illud memorabile fertur, quod Imperatorem Constantinum ab inferita quorundam se iracundiam, longe constitutus, ad misericordiam per visum monitis deflexit et minis. Quam tamen historiam nemo dubitarit sanae mentis tanquam certissimam ex Martyrologio Romano in tota Ecclesia recitari, ideoque in Breviario Romano et antiquo et recognito, lectione sexta, eadem historia sine verbo *fertur* narratur his verbis: *Oppressos adeo sublevavit, ut etiam tres tribunos per calumniam a Constantino Augusto condemnatos, qui se propter famam ejus miraculorum orationibus longissime absentis commendaverant, adhuc circus, cum Imperatori minaciter cum terrens apparuisset, liberavit.*

Ego sane sancte affirmare possum, me inter scripturas archivii Romani invenisse, circa annum D. 1602, vel potius 1601, hanc historiam tanquam certissimam, et quidem tunc, dum jussu P. Claudii Praepositi N. Generalis, pro primâ historiae Societatis parte per sex annos colligerem materiam a P. Nicolao Orlandino, cui datus eram adjutor, latine compositam, a summae fidei ac integritatis viro et accurato ac, ut ita dicam, scrupuloso minimarum rerum nostrarum historicarum indagatore et examinatore, ne quid ex nostra officina dubium vel incertum prodiret. Ideoque multa praeclara omisimus, etsi non putaremus falsa vel dubia, tantum quod non haberemus tam certos veritatis valde probabilis

testes, omni exceptione majores, sicut habuimus de rebus aliis a nobis vulgatis. Quam etiam ob causam et P. Ribadeneyra multa in prima editione Vitae S. Ignatii omissa se in editione secunda edidisse ait in praefatione illius; *quia*, inquit, *quae dubia mihi ante erant, diligenti postea inquisitione investigata certa esse comperi.*

Et hanc ipsam ob causam alia quoque se adjecisse scripsit in editione tertia, quae, dum secundam vulgaturus erat, *adeo sibi certa et explorata non erant, ut in vulgus edenda sibi persuaderet, quae postea quaestionibus de ejus in Divos relatione publice habitis, gravibus et idoneis testibus fuerunt comprobata.* Alioqui si timuissemus, fore aliquem adeo audacem, qui rem hanc aliquando revocaturus esset in dubium, sine *fertur* haec verissima historia et S. P. Nostri prophetica praedictio ab Orlandino, etsi viro modestissimo, scripta fuisset.

Ceterum hanc praedictionem Petro Quadrato in Belgio factam Antverpiae jurejurando confirmant hi: P. Ildephonsus de Medranas, qui saepe se eam cum aliis audivisse ait in oppido Methymnae de Campo ab uxore dicti Petri Quadrati, nomine Donna Francisca Manson, et P. Ioannes Casarubeus, aetatis prope 87 annorum, 34 annis Superioris officiis et tribus toti Provinciae Baeticae Praefectus aliisque muneribus cum laude obitis, jurejurando testatur, se hanc praedictionem Petro Quadrato a S. Ignatio

factum audivisse in suo in Societatem ingressu, in qua anno 1643 69. agebat annum, ac proinde id audivit a majoribus circa annum D. 1574. Et ad hunc diem monstrantur Antverpiae aedes, in quibus hospitio exceptus est S. P. N. Ignatius a D. Cuelar, mercatore Hispano, cui tum cohabitabat Quadratus ille adhuc adolescens, ut merito scripserit P. Ioannes Bollandus, vir eruditissimus, *stolidum eum esse oportere, qui de re tam constanti fama a majoribus tradita dubitet.* Cum autem ex omnibus vitae S. Ignatii scriptoribus et ex Orlandino, multo post praedictionem Petro Quadrato factam, constet[1]), Ignatium Societatis jecisse Parisiis initia anno 1534, et quidem non sub forma Religionis, quam adhuc multo post, scilicet anno 1539, post illam vero praedictionem annis circiter undecim, fundare coeperat (teste Orlandino[2]), hinc quoque apparet, multo ante S. Ignatio Societatis Institutum revelatum fuisse divinitus.

Nono. idem confirmatur testimonio S. Francisci Xaverii, qui scribens Societati Romam, in fine sic habet: *Ex multis et magnis hujus vitae fructibus, quos adhuc Dei beneficio cepi et quotidie capio, illum enimvero duco maximum, quod nostrae Societatis Institutum Pontificis Maximi auctoritate comprobatum confirmatumque esse cognovi. Immortales Deo gratias et ago et habeo, qui quam*

[1]) Orland. lib. I n. 64 et 89. [2]) Orland. lib. II. n. 58.

vitae rationem servo suo, Parenti nostro Ignatio, clam ipse praescripserat, eam aliquando per suum Vicarium palam stabiliri voluit ad memoriam posteritatis sempiternam [1]).

Decimo, potest hoc ipsum confirmari revelatione divinitus facta cuidam sanctae virgini Mediolanensi, probati a Nostris spiritus, quae divinitus didicerat, S. Ignatio revelatum fuisse Societatis Institutum [2]), quoad ea, quae in illo statuit in celebri illo raptu octo dierum, quem Manresae habuit, descripto a Ribadeneyra, Maffejo, et iterum a Ribadeneyra commemorato [3]) et ab Orlandino.

Porro hanc revelationem habuisse illam virginem, narravit mihi Romae P. Ludovicus Mansonus, qui recenter Mediolano (ubi dictam virginem tunc viventem noverat) ad regendum Romanum Collegium venerat, unde postea a P. Claudio missus erat, ut Provinciam Neapolitanam gubernaret, et deinde, ut esset Visitator Sardiniae, qua visitata Domum professam Romanam gubernavit, et tandem Panormitanam, cui cum praeesset, sancte obiit instar martyris, vir magni spiritus, prudentiae, experientiae et doctrinae. Quod ipsum anno 1641 14. Ianuarii Bilbili de revelatione hac S. Ignatio facta in illo octo dierum raptu divino, quem Manresae

---

[1]) S. Franc. Xav. ep. lib. I ep. 5. [2]) Ribad. lib. I c. 7. [3]) Ribad. lib. V c. 13. Orland. lib. I n. 28.

in exordio suae conversionis passus est, testatur octogenarius P. Petrus, continenter Rectoris et Provincialis muneribus perfunctus, familiaris P. Hieronymi Domenechi a S. Ignatio in Societatem recepti, asserens, se id historia et Patrum traditione accepisse a primo suo in Societatem ingressu[1]).

Hoc ipsum jurejurando confirmarunt P. Vincentius Maria Bargellinus et P. Ioannes Baptista Furnius, saepius Rector, et P. Ioannes de Sanctio Annez, et P. Gundisalvus de Peralta, Provincialis Baeticae, et P. Franciscus de Robledillo, variorum Collegiorum Rector et Novitiatus Matritensis secundum Magister, ac Domus Toletanae olim Praepositus, fidem juratam fecit, se anno 1609 in solemnitate Beatificationis B. P. Ignatii, audivisse concionantem Illustrissimum DD. Franciscum Martinez Cenizeros, qui prius in Complutensi Academia Primarius fuerat Theologiae Professor, tunc Episcopus Carthaginiensis, eumque in concione dixisse, non tanquam rem novam, sed quam nullus ex nostris ignoraret, Deum ad octiduanam illam extasim, quam Minoresae S. P. Ignatius passus est, revelasse illi totam Societatis fabricam, totam Religionis fundandae structuram.

Idem testatur P. Franciscus Aguado, secundum Provincialis Toletanus, aliis superioritati-

[1]) Rho 87. Interr. Ap. p. 165 sq.

bus primariis perfunctus, annorum 69, Societatis vero 52, se accepisse a majoribus, tanquam certissimum et omnibus nostris perspectum. Simili modo id ipsum testificantur P. Gundisalvus de Peralta, Provincialis Baeticus, et P. Petrus Ferdinandus de Mudaira, annorum 80, Societatis 56, et duodecim alii non aeque antiqui, jurejurando confirmarunt, id se audivisse ab antiquioribus Patribus, viri gravissimi et Provincialium ac Rectorum muneribus non semel cum laude perfuncti, ut non possit esse certior fides humana de rebus antiquis. Atque ita conformis est haec relatio iis, quae supra retuli, dicta esse P. Consalvo a S. Ignatio de quadam magna illustratione mentis, quam Manresae habuit de rebus particularibus Societatis, etiam non essentialibus.

Undecimo, hoc ipsum, modeste quidem sed clare, dicitur in Praefatione Constitutionibus praefixa, prima vice jussu Congregationis primae Generalis impressis Romae in aedibus Societatis Iesu anno 1559. In hac Praefatione pag. 2. dicitur, ab Ignatio sanctae memoriae conscriptas esse Constitutiones, eumque *per multos annos in hanc unam curam potissimum incubuisse, et multis lacrymis, ferventissimis precibus, assiduis missarum sacrificiis, Spiritus S. unctionem a Domino Deo efflagitasse, ut illo Inspiratore et Duce, id quod humano consilio non poterat, divino munere consequeretur.*

Porro praedicta Praefatio in secunda editione Constitutionum recognitarum et editarum initio Generalatus P. Claudii auctoritate Congregationis quartae Generalis, sublata est, inquit Sacchinus, *ne quid Constitutioni adderetur, quod non edidisset Ignatius*[1]). Quod autem P. Ioannes Polançus, illius praefationis autor et S. Ignatii per novem circiter annos secretarius, per *unctionem S. Spiritus* Dei revelationem intellexit, hinc non temere colligo, quia in Praefatione Spiritualibus Exercitiis S. Patris praefixa et ab eodem composita, simili loquendi modo ait, ab eo exercitia fuisse composita, *docto ab unctione S. Spiritus.* Quam suam phrasim, modeste tunc positam (quia adhuc vivebat ipse S. Ignatius) eo mortuo clare explicuit in epistola quadam hispanica (cujus exemplar habeo), scripta sub Generalatu P. Laynez ad quendam Magnatem Illustrissimum anno 1564 8. Dec., in qua disertis verbis ait, *Ignatium post quatuor primos menses a sua conversione maxima luce ac cognitione occultissimorum mysteriorum divinorum divinitus illustratum coepisse juvare alios exercitiis spiritualibus, quae illum sine magistro Deus ipse docuerat.* Pari ergo modo ac sensu etiam Constitutiones a S. Ignatio factas intellexit, *sine humano Magisterio esse ei divinitus traditas.*

Atque ita jurati Patres in Societate antiquis-

[1]) Sacch. p. II lib. II n. 50.

simi testificati sunt, se a S. P. N. Ignatii discipulis et ei coaevis audivisse, et ab ipso primo suo in Societatem ingressu constanti fama, quod Deus S. P. Ignatio Societatis ab illo fundandae Institutum revelaverit. Sic P. Ildephonsus de Medrano juratus affirmavit, *Societatem ingressum anno 1579, se 62 annorum decursu ab omnibus Patribus semper audivisse et per traditionem didicisse, sanctissimum Parentem nostrum de Loyola Ignatium Institutum, Constitutiones et Regulas, quas nobis observandas tradidit, per revelationem supernaturalem a Deo Opt. Max. accepisse. Id audivisse se ait a P. Gonzalez plus quam octogenario tunc temporis, quando cum anno 1579 Salmanticae ad Societatem quasi manu duxit. Idem se semper audivisse testatus est a sancto illo Patre in publicis exhortationibus, P. Balthasare Alvarez, suo Magistro in tertio Probationis anno, Societatis Institutum a coelo per revelationem P. N. Ignatio traditum, et Exercitia Spiritualia et orationis mentalis methodum in eisdem comprehensam, a Deo per revelationem divinam eundem accepisse, idemque saepius audivisse a Venerabili P. Ludovico Della Puente, et dum per annos 14 in Collegio Mexicano, apud novum orbem occiduum degeret, id ipsum saepius audivisse a Patribus antiquioribus Societatis, quorum unus erat P. Doctor Petrus Sanctus, Provincialis novae Hispaniae apud Indos, qui ingressus in Societatem Compluti in Hispania, ejus Universitatis Rector, eo tempore, quo Beatissimus Parens Noster*

Ignatium inter mortales vitam ageret, audivisse a P. Araoz. (S. Ignatii discipulo) *qui primus Completam ex Societate adierat* (a S. Ignatio Roma missus), *Institutum Societatis a P. N. Sanctissimo per revelationem acceptum.* Ibidem alios antiquissimos nominat, a quibus idem audivit.

Quod ipsum A. R. P. N. Praepositus Generalis Mutius Vitellescus, testis omni exceptione major, jurejurando interposito, et alii antiquissimi et gravissimi Patres Societatis modo simili asseruerunt, uti P. Alvarus Arias, Hispaniarum Assistens, Ioannes Chamerota, annum agens octogesimum secundum, qui id anno circiter 1572 a majoribus nostri Ordinis accepit, et P. Constantinus Bovonus, qui, similiter juratus, asserit, hoc se audivisse a quinque Patribus S. Ignatio familiaribus et ab eo ac sub eo in Societatem receptis, nimirum P. Emanuele Sa, P. Ioanne Baptista Velato (uno e primis Societatis Professis, a S. Ignatio ad professionem admisso) a P. Iacobo Crucio, P. Laurentio Magio, P. Achille Gagliardo, P. Lelio Bisciola, aliisque antiquissimis.

Duodecimo, hoc ipsum aliis in locis asserit de S. P. Ignatio Nicolaus Orlandinus in prima parte Hist. Soc. Nam describens modum, quo primum S. Pater Societatis Constitutiones coepit scribere, haec scribit: [1])

[1]) Orland. p. I l. II n. 116.

Minime nescius, quanta sibi res esset imposita, nihil suae prudentiae judicioque, quibus tamen ipsis valebat plurimum, fidendum ratus, Deum sibi consulendum inprimis frequenti prece et quotidiano sacrificio putavit. Quo tempore mens ejus a Deo mirum in modum illustrata, suavitate quadam spiritus tota undique perfundebatur, hauriens a Patre luminum, quae mox suae disciplinae alumnis consignaret, et veluti dictata quaedam de rebus singulis, quibus haec Instituta continentur, excipiens, ut mirum videri non debeat, si, cujus in animo speciem operis universi divinus architectus effinxerat, is tam excellens Religionis Institutum formamque descripserit; ut affirmare vere posset, non suum illud inventum esse, sed ejus, qui sibi in monte commonstrasset exemplum. Tanta igitur Dei luce perfusus, dum accurate omnia sollerterque circumspicit et mysticum ecclesiae corpus membraque singula contemplatur, dum praesentem Ecclesiae statum et illorum temporum calamitatem secum ipse perpendit, dum ei religiosorum Ordinum Instituta, quae tum erant in orbe Christiano, et munerum varietates, unde is maxime sublevaretur, attendit, neque tamen omittit, quantam et in mentis corporisque exercitationibus et in victus cultusque ratione naturae vires ferant, expendere; dum haec, inquam, universa singillatim animo rationeque perlustrat, sentit, se singulari quadam arte, ut ex coelesti illa disciplina perceperat, omnem suorum Institutorum formam in certa quaedam capita canonesque dige-

stam summatim fuisse complexum, quibus non modo regere ac tueri se ipsa, verum etiam progredi atque augeri deinceps Societas adulta et corroborata jam posset, ut intelligat posteritas universa, quanti tandem sint ea Institutorum monumenta pendenda, quae Beatus ille Pater non tam atramento quam lacrymis, nec tam humano studio quam accurata prece, nec tam magistra prudentia quam Deo paene dictante conscripsit, ut infra planius ostendetur.

Decimotertio, hoc probat alia praedictio S. P. N. Ignatii facta Barcinone, dum litteris daret operam, anno 1524 (hoc est tertio anno a sua conversione, decem annis ante inchoatam Parisiis, et 16. vel 17. annis ante fundatam Romae Societatem): *Nam cum D. Rhodis, celeberrimus Iurisconsultus, patria Gironensis, ex principatu Cataloniae, tunc adolescens, S. Ignatii familiaris, illius virtutum exemplo atque adhortationibus ita ad virtutem exarsisset animo, ut cum sequi ejusque socius fieri ac virtutes imitari vehementissime cuperet idque aperuisset Ignatio, respondit Ignatius: Tu non me sequeris, sed filius olim tuus religiosae familiae, quam ego divina favente gratia conditurus sum, nomen dabit. Hoc vaticinium implevit Michaël Rhodis, filius hujus Iurisconsulti multis post annis ab eo genitus, qui Societatem ingressus est in eaque diutissime vixit, ac senex admodum obiit, vir religionis eximiae, animarum zelo et vitae austeritate nobilis et magnarum virtutum fama.* Et hoc ipsum narravit saepius P. Francisco de Caspes, mihi

Romae bene notus, dum a Provincia Aragoniae, in qua officia Rectoris et Praepositi obivit, Procurator missus esset, et ipse P. Franciscus de Caspes, septuagenarius, hoc se audivisse a filio illius Iurisconsulti jurejurando asseruit in testimonio, quod in Romano nostro archivio asservatur.

Decimoquarto, anno 1535, cum S. Ignatius e civitate Valentiae in Regium Vallis Christi Carthusianorum Conventum accessisset, Romam profecturus ad condendam Societatem, invisit in eo monasterio suum dilectissimum Praeceptorem P. Dom Ioannem de Castro, cujus bonis artibus et litteris Parisiis erat imbutus, et cum ei suum aperuisset animum de fundanda Societate Iesu antea conceptum ejusque ad Deum precibus commendasset felicem tantae rei exitum, Dom Ioannes de Castro, post fusas ad Deum preces, sequenti die sic est Ignatium allocutus: Ita, o Ignati, tua de fundanda Societate arridٍent vota, ut, si lubet, Carthusiam deseram: *Novitius sum, nondum votis adstrictus, meam opem, operam, vires, consilium, in te unum transferam, dummodo tantae molis negotium felicem exitum consequatur. Ad quae Ignatius: Nequaquam, R. Pater, sta in caeptis, tuis precibus me Deo commenda.*

Se hanc historiam vidisse scriptam in litteris hujus Dom Ioannis de Castro, Carthusiani Ostensis, sibi a P. Dom Michaele Monllor, suo Magistro, annum agente nonagesimum exhibitam, ju-

rejurando testatus est coram publico Notario R. P. Dom Andreas Soler, Religiosus antiquior Conventus supra dicti Vallis Christi.

Eandem historiam se audivisse a Venerando Patre Dom Matthia Ferrez, viro sancto et tanquam sancto post mortem in imagine jussu Episcopi Segobiensis depicta honorato et a B. Ludovico Bertrando et B. Nicolao Factore pro sancto habito, juratus testatus est R. P. Dom Antonius Martinus, dicti Vallis Christi Conventus Vicarius, eandemque historiam se audivisse dixit a P. Dom Onuphrio Ripoll, Religioso 50 annorum Professo et Priore Vallis Christi Conventus, viro spectatae virtutis. Qui dixit, se accepisse saepissime a pluribus antiquissimis Patribus, et praecipue a P. Dom Ioanne Bellot, Priore eo tempore, quo S. Ignatius Carthusiam Vallis Christi appulit, et ab aliis Patribus, quos in suo testimonio jurato nominat et addit, hanc esse communem traditionem inter Patres Regii Vallis Christi Conventus, et dicit, se audivisse et legisse hanc veritatem in manuscriptis reconditis in archivio dictae Carthusiae.

Hoc ipsum tertius Carthusianus, P. Dom Nicolaus Bonet, juramento comprobat se audisse ab iisdem Patribus antiquissimis Carthusianis, P. D. Michaele Monllor et a P. D. Ioanne Bellot, et ab aliis.

Id hi RR. Patres Carthusiani jurati testati sunt anno 1641 8. Ianuarii.

Sed P. Franciscus de Caspes in testimonio suo supra posito affirmat, *quaecunque scripsere Patres Carthusiani, monasterii Vallis Christi sua in testificatione, sibi ante hos quindecim annos nota fuisse.*

Quocirca certissimum est, revelatum esse S. Ignatio Societatis ab eo fundandae Institutum multo ante eam inchoatam, hoc est, dum Manresae seu Minoresae (idem enim significant haec vocabula) primo a sua conversione anno versaretur.

CAPUT II.

Idem confirmatur auctoritate Summorum Pontificum.

Merito P. Franciscus Suarez hoc ipsum, quod supra dictum est, de Instituto Societatis sentiens, sed nimis modeste nec tam aperte idem asserens, ad hoc ipsum confirmandum citat Bullas Summorum Pontificum, quae tamen a me diligentius et firmius expendentur. Quod eo securius faciam, quia P. Hieronymus Natalis, S. P. N. Ignatii intimus superius commendatus, in prima ad Socios Complutenses exhortatione, (quam legi et descriptam habeo) dum esset Commissarius Societatis Roma missus in Hispaniam,

[1]) Suarez De Relig. Tract. 10. l. I c. 4.

dixit manifeste: *Revelatas esse res Societatis immediate a Deo P. Ignatio, idque dicere Ecclesiam in Bullis Confirmationis Societatis, idque constare ex aliis Actis et Testimoniis legitimis.* Ita ille.

Primo enim, Paulus III in prima Bulla Confirmationis Instituti anno 1540 ait: Primos decem Patres Societatis (in Bulla nominatos) *Spiritu sancto, ut pie creditur, afflatos Societatem instituisse.* Hunc autem loquendi modum Dei revelationem significare, paulo post ostendam.

Idem Paulus III post tres annos in secunda Bulla, qua secundo confirmavit Societatem, sine restrictione numeri Professorum ad Societatem admittendorum (quos ad numerum sexagesimum in prima Bulla redegerat) haec ipsa verba repetit. Quae verba hoc ipsum indicare, quod assumpsi probandum, infra, nisi fallor, clare apparebit.

Secundo, Iulius III in altera Bulla, qua Societatem cum amplioribus privilegiis confirmavit, decimo anno a Societate instituta, anno 1550, clarius hoc ipsum asseruit, institutam primum Societatem esse *Spiritu S. afflante*: omisitque particulam illam *ut pie creditur*, a Paulo III usurpatam: *Non casu*, inquit Suarez, *sed, quod dubitationem vel formidinem indicaret, consulto ablata fuit. Nam diuturna experientia et uberes fructus, simul cum approbatione Praedecessoris sui, omnem formidandi rationem, si qua erat, auferre poterant* [1]).

[1]) Loc. cit. n. 4.

Qui loquendi modus Dei revelationem denotat. Sic enim S. Chrysostomus sacrae Scripturae libros ait esse scriptos *a Moyse afflato Spiritu S.* [1]).

Tertio, Gregorius XIII in Bulla *Quanto fructuosius* clarius adhuc hoc ipsum indicat, ait enim: *Ad quem finem Spiritus S. bonae memoriae Ignatium Loyolam, ipsius Societatis Institutorem, ejusque Socios excitavit, media etiam praeclara maximeque opportuna hujus Sedis ministerio eis tribuit atque confirmavit.* Atqui inter media Societatis non tantum essentialia, sed etiam aliqua accidentalia continentur, ergo judicio Vicarii Christi etiam *per Spiritum S.* sunt S. Ignatio inspirata et per S. Ignatium Sociis reliquis.

Quarto, idem Gregorius XIII in eadem Bulla paulo post ait: *Societatis Corpus in sua membra, ordinem et gradus, divino instinctu disposuisse Ignatium.* Et statim immediate recensens, quae divino instinctu disposuit Ignatius in Societate, enumerat, post biennium novitiatus absolutum, tria vota substantialia, simplicia tamen, per quae emissa in Corpus Societatis cooptantur, et, quantum ex parte ipsorum, perpetuo obligati manent, et (quemadmodum infra additur) fiunt vere Religiosi et proprie, etsi non fiant Professi. Si injussi discedant, apostasiae notam et poenas ut Professi incurrunt. Rationabili tamen ex causa, juxta Constitutiones, a Praeposito Generali pos-

[1]) S. Chrys. In Gen. hom. 39. 42. 49. (M. P. Gr. 53).

sint dimitti et votis hujusmodi liberari. Item, quod bonorum suorum jus atque dominium pro Superiorum arbitratu ad tempus retinere valeant, ut in pios usus distribuant, nulla re tanquam propria et sine Superioris facultate utendo; et quod peractis probationibus et experimentis, quos Praepositus Generalis idoneos judicat, eos ad Professionem per vota solemnia vel ad gradum Coadjutorum formatorum per vota publice emissa, quamvis non solemnia, admittat; et tamen fiant incapaces cujusvis haereditariae successionis et ratione illorum nulla Domus Societatis in bonis illorum ab intestato succedere possit.

Quinto, idem Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente*, cum dixisset, *Societatis praecipuum finem esse, catholicae religionis defensionem ac propagationem animarumque in christiana vita et doctrina profectum*, subdit: *Ad quem finem Spiritus S. bonae memoriae Ignatii Loyolae, Societatis ipsius Institutoris, ejusque Sociorum excitator, media quoque praedicationum ac cujuscunque mysterii verbi Dei doctrinaeque christianae et spiritualium exercitiorum, aliorum item charitatis operum, et sacramentorum administrationis, ac praecipue poenitentiae et SS. Eucharistiae, horumque frequentiores usus accomodavit.* Quo utroque in loco, non essentialia tantum Societatis, sed etiam non essentialia Gregorius nominat, ac proinde etiam haec *Spiritu S. afflante et excitante et docente* S. Ignatius in

Societate instituit, judicio hujus Pontificis re et nomine Maximi.

Sexto, similiter alter Gregorius, XIV., in Bulla, quae incipit *Ecclesiae Catholicae* Societatem fundatam esse ait ab Ignatio *Domino inspirante. Quoniam,* inquit, *neque tranquillitati, neque firmitati Ordinum prospectum esse poterit, nisi eorum Instituta firmiter inconcussa serventur, iisdemque modis feliciter progrediantur et crescant, quibus a Fundatoribus, Domino inspirante atque hac S. Sede approbante, primum fundati sunt; necessarium duximus, ea, quae ab Ignatio, hujus Ordinis Fundatore, ordinata et a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus circa ejusdem Societatis Institutum sancita sunt, Apostolicae firmitatis munimine denuo roborare.* Et nolens, ut in Societate res decidantur per Capitula, sed per Superiores cum consilio aliorum, causam adfert, *quia sic Ignatius Fundator faciendum decrevit.* In hoc S. Ignatii encomio ponderanda sunt verba Magni Pontificis, quibus asserit, *a Fundatoribus Ordinum Domino inspirante eorum Instituta primum esse fundata,* quia hoc ipsum de Fundatoribus Ordinum religiosorum videtur asseruisse hic Pontifex, quod multo ante Christus ipse dixerat S. Brigittae. *Omnes,* inquit, *regulae, quas amici mei inceperunt et ipsi personaliter tenuerunt et servaverunt aliosque omnes efficaciter docuerunt et porrexerunt, non fuerunt dictatae et compositae ab ipsorum intellectu et humana sapientia, sed aspiratione*

ejusdem Spiritus S.[1]. Merito ergo idem Pontifex ob solum decretum ab Ignatio factum de non decidendis rebus per Capitula, sed per solos Superiores, statuit, hoc esse in Societate retinendum, quia credebat. Spiritus S. aspiratione hoc Ignatium didicisse et statuisse, non humana prudentia.

Septimo, idem patet ex Bulla Pauli V., qui praedictas Bullas aliorum Pontificum confirmans ait, Societatis Institutum, ab aliquot Pontificibus suis Praedecessoribus approbatum et confirmatum et decoratum, *esse fundatum a bonae memoriae Ignatio Loyola Sancto Spiritu inspirante.* Porro per *Inspirationem Spiritus S. et afflatum et excitationem*, cujus meminerunt praedicti Pontifices, non est intelligendus simplex instinctus Spiritus Sancti, qui est quid infimum in genere prophetiae, ut docet S. Thomas[2]), sed perfecta prophetica cognitio et revelatio, in qua S. Ignatius non tantum Deo revelante cognovit, quae statuit in Societatis constitutionibus a se scriptis, sed etiam cognovit, illa sibi esse divinitus revelata, quod ad perfectam cognitionem propheticam requiri docet S. Thomas loco citato.

Tali enim inspiratione et afflatu et excitatione S. Ignatius et cognovit res ordinandas in Societate et verbo ac scripto ordinavit et factis

[1]) S. Brigitt. Revel. lib. VII c. 20. [2]) S. Thom. II 2. qu. 173 a. 4.

executus est (modis his tribus utendo, qui reperiuntur juxta doctrinam S. Thomae loc. cit.), quia hoc ipse Sanctus fassus est, ut supra vidimus, ac proinde ita in rei veritate fuit. Et Pontifices procul dubio eo modo sua verba intellexerunt, quo in rei veritate et de facto S. Ignatius hoc Institutum fundavit. Nam, ut ait S. Thomas, *cum aliquis cognoscit, se moveri a Spiritu S.* (uti cognovit S. Ignatius) *ad aliquid aestimandum vel significandum verbo vel facto, hoc proprie ad prophetiam pertinet; cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta prophetia, sed quidam instinctus propheticus*[1]).

Simili loquendi phrasi Spiritus Sanctus exprimit perfectissimam revelationem propheticam, per quam scripti sunt libri Scripturae. Nam dicitur (2. Tim. 3. 16): *Omnis Scriptura divinitus inspirata;* quae inspiratio expressam Dei revelationem et lumen propheticum perfectissimum significat, quia tali prophetico illustrati lumine sacri Scriptores libros Sacrae Scripturae scripserunt aut suis amanuensibus dictarunt. Uti fecit Paulus Apostolus dictando aliquot ex iis, quas habemus, ejus epistolis, ut patet Rom. ult. 22. et observarunt S. Chrysostomus, Ambrosius, S. Hieronymus et S. Anselmus[2]).

Sic S. Petrus loquens de libris canonicis S. Scripturae a Deo revelatis eorum scriptoribus

[1]) Ibid. [2]) In Gal. VI, 11 et Coloss. IV, 18.

et auctoribus, ait: *Spirita S. inspirati* (Graece φερομενοι, id est, ut Arrias Montanus vertit, *acti*) *locuti sunt sancti Dei homines* [1]).

Eadem phrasi expressit S. Basilius (epist. 4. ad Gregor.) libros Sacrae Scripturae divinitus esse revelatos: *Maxima*, inquit, *via ad officii investigationem ferentium Scripturarum divinitus inspiratarum meditatio* [2]).

Simili modo loquendi utitur S. Gregorius Papa, commemorans praestantissimum revelationis genus, quo revelati sunt et a Deo immediate dictati libri Sacrae Scripturae. Nam expresse ait: *Librum Iob esse scriptum a Deo, qui eum scribendum dictavit*, quem tamen statim subdit *esse scriptum a Deo, qui illius Inspirator extitit*; et addit, psalmos a Davide scriptos esse *Dei inspiratione*. Et in fine, Beatum Iob sua gesta scripsisse *Spirita S. afflatum* [3]). Et S. Bernardus a Salomone *divinitus inspirato* ait scripta esse Cantica Canticorum [4]). Et S. Basilius *libros Scripturae divinitus inspiratos* dicit, et S. Augustinus *inspiratum a Deo* ait scripsisse Evangelium. Et S. Isidorus Pelusiota, S. Chrysostomi auditor, testimonium Pauli divinitus inspirati vocat sententiam a S. Paulo scriptam Deo reve-

[1]) II Epist. S. Petr. 1, 21. [2]) S. Basil. Ep. ad Greg. (M. P. Gr. 32, 228). [3]) S. Greg. M. Praef. in libr. Mor. c. I. (M. P. L. 75, 517). [4]) S. Bern. In Cantic. Serm. I. (M. P. L. 183, 788).

lante. Appellat eum etiam divino Numine instinctum, ob epistolas, quas Deo revelante scripsit [1]). Certum ergo sit, Romanos Pontifices, S. Gregorii successores, per inspirationem Dei et instinctum, quo ajunt S. Ignatium Societatis Institutum fundasse, intellexisse expressam et proprie dictam revelationem Dei.

Simili modo in Martyrologio Romano, tum antiquo, tum recognito et aucto sub Urbano VIII., olim 23 Julii, nunc 8 Octob. S. Brigitta vidua appellatur *divino afflata Spiritu*, qua phrasi indicatur, eam Deo revelante multa cognovisse, quia in antiquiore Breviario Romano Lect. 6. die ejus festo dicitur: *Multas profundorum Dei arcanorum revelationes habuisse.* Et in alio Breviario sub Urbano VIII. recognito dicitur: *Cui arcana multa fuerunt divinitus revelata.*

In utroque autem Breviario, sicut et in Missali Romano, talis de ea oratio habetur: *Domine, Deus noster, qui B. Brigittae per Filium tuum Unigenitum secreta caelestia revelasti etc.* Quod etiam antea in Bulla ejus Canonizationis fusius disertis verbis exprimitur a Bonifatio IX. et postea a Martino V. approbatum est et confirmatum. Quocirca *per instinctum et inspirationem divinam* Ignatio factam, usitata Sedi Apostoli-

[1]) S. Basil. Epist. ad Chil. (M. P. G. 32. 227). S. Aug. Tract. in Joann. I. (in P. L. 35, 1579). S. Isidori Pelus. Epist. lib. II. 270 et l. III. 58. (M. P. Gr. 78, 697 et 769).

cae phrasi in suis Bullis. expressam Dei revelationem intellexerunt supra citati Pontifices. Quo etiam sensu S. Dionysius Areopagita, S. Pauli discipulus, dixit, *Libros divinos* (scilicet Sanctam Scripturam, quam sic appellare solet) *Spiritus S. instinctu scriptos esse*[1]).

Magnum etiam hujus veritatis argumentum est, quod Sedes Apostolica per Paulum III. in secunda Bulla confirmatae Societatis, multo ante factas a S. Ignatio Constitutiones, faciens potestatem eas condendi, etiam iteratis vicibus, et mutandi juxta locorum et temporum et rerum qualitatem et varietatem, tanti eas nondum factas sed condendas fecerit, ut hoc concesserit: *Quae*, (scilicet Constitutiones) *postquam mutatae, seu de novo conditae fuerint, eo ipso auctoritate Apostolica praefata confirmatae censeantur, eadem Apostolica auctoritate de speciali gratia indulgemus.* Quae anticipata nondum factarum Constitutionum approbatio singulare indicium est, Deum immediate movisse Vicarium suum, ut hoc faceret in Confirmationem Instituti, quod ipse servo suo Ignatio revelaverat. Alioqui, sistendo intra limites humanae prudentiae, nunquam humano spiritu id Papa concessisset, sciens calamitatem illorum temporum, novis in septentrione haeresibus et illusionibus Illuminatorum perturbatorum, qui Hispaniam potissimum inficere

[1]) S. Dionys. Areop. De divin. nom. c. II. M. P. Gr. 3.

coeperant. Idque eo magis, quod idem Pontifex in prima Bulla ob metum rerum futurarum non permiserit Ignatio plures quam sexaginta ad professionem admittere.

Hoc ipsum etiam manifeste apparet ex eo, quod Sedes Apostolica confirmavit per Bullas plures Pontificum, et quidem *motu proprio et de certa scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine*, quaedam in Societate valde diversa a statu aliorum Ordinum et contra communem sententiam antea receptam theologorum et canonistarum, uti est, quod vota simplicia in Societate emissa post biennium probationis faciant vere Religiosum, et quod invalidum reddant matrimonium contractum, et quod solemnitas votorum non requiratur ad substantiam Religionis, et alia quaedam in Societate valde diversa, quae infra enumerabuntur. Nunquam enim Sedes Apostolica tali *motu proprio et de certa scientia et plenitudine Apostolicae potestatis* contra communem sensum theologorum et jurisperitorum, saltem contra praxim aliorum Ordinum antiquiorum, et quidem tam facile et tam disertis verbis, sine praemissis examinibus et disputationibus (quae Romae ob res multo minores instituuntur jussu Rom. Pontificis) confirmasset, nisi haec omnia a majore quam ordinario divino lumine S. P. Ignatius didicisset.

Valet et hoc plurimum ad confirmationem hujus veritatis, quod non permiserit Deus, ut

quicquam ex rebus a S. Ignatio in Societatis Instituto constitutis abrogaretur a Sede Apostolica, aut oretenus aut per diploma, quamvis aliqui fuerint Pontifices, qui ex mala informatione quorundam et ob res nostras non bene intellectas habuerint in rebus quibusdam nostris difficultatem. Ideoque post S. Ignatii mortem Paulus IV., non abrogando quicquam ex Constitutionibus nec ex praeteritorum Pontificum diplomatis, factus a Societate alienior, simplici mandato jusserat pro arbitrio Generalis chorum in Societatem induci, et ne Generalis gubernatio ad vitam ejus duraret; tamen ipsemet Societatis Institutum et Constitutiones sua voce approbavit. Praeterea, cum idem Pontifex, ut ajunt Sacchinus et Orlandinus [1]), praeseferret, se in Societate aliquid desiderare et in ejus rebus moliri, , et jussisset ad se ferri Diplomata Pontificum, Constitutiones Regulasque Societatis et quidquid ad ejus disciplinam ac regimen pertineret, tradidissetque aliquot Cardinalibus examinanda et perpendenda omnia, et quidem iis, quos minime Societati faventes, magna tamen doctrina ac prudentia rerum gerendarum peritia instructos habebat, nulla prorsus re abrogata, nulla immutata, nulla improbata, nobis postea omnia integra et illibata restituit, sed, ut ait

[1]) Sacchin. p. II lib. II n. 40. 55. lib I n. 31. 32. 76. 77. Orland. lib. X n. 51.

Gregorius XIII. in Constitutione sua *Quanto fructuosius*, postea *diligentissime examinata et a Concilio Tridentino commendata:* quae etiam repetit infra. Quam rem ita oculatus testis describit P. Hieronymus Natalis in exhortatione quinta, quam habuit ad nostros Complutenses, dum esset Commissarius Generalis in Hispania: *Habent*, inquit, *nostrae Constitutiones auctoritatem a Bullis Pauli III. et Julii III., qui dederunt auctoritatem ad faciendas illas; habent etiam confirmationem a Paulo IV., quae est valde magna et quam ego aestimo multum. Postquam enim noster P. Ignatius est mortuus, voluit Paulus IV. videre nostrum Institutum, Bullas et Constitutiones, et ita fuerunt illi consignata omnia; et ipse commisit Caudinali Reomano et Cardinali Tranensi; et habuerunt per quatuor menses, inquirendo et revidendo, et postea restituerunt, approbando illud tanquam bonum. Et Papa tempore Congregationis Generalis primae* (post Ignatii obitum) *confirmavit totum nostrum Institutum bis: Primo per Cardinalem Pacicum, secundo vivae vocis oraculo, quando ivimus ad oscula ejus pedum, tota Congregatio cum Generali* (P. Iacobo Laynez) *noviter electo.* Haec P. Natalis dixit, dum esset in Hispaniam missus a P. Iacobo Laynez Generali cum potestate ipsius Generalis. Sic etiam, dum Sixtus V. ex informatione malevorum deliberasset de mutando nomine Societatis, ne vocaretur Societas Iesu, sed Societas Iesuitarum, et diceretur, jam di-

plona Pontificium hac de re fuisse conscriptum, non permisit illud Deus publicari ob mortem repentinam sine praevio morbo Sixti V. in sella sua sedentis cum stupore omnium subsecutam. Quod antequam fieret, cum P. Iacobus Ximenez, tunc Societatis Secretarius, adiisset Cardinalem Ioannem Antonium Iachinettum (eum, qui postea ad Romanum Pontificatum evectus anno 1591 et Innocentius IX. appellatus fuit) et ab eo intellexisset, Sixtum velle omnino mutare hoc Societatis nomen, P. Ximenez impulsu quodam spiritus commotus, magno impetu Cardinalis mensa pugno percussa, indignabundus dixit, hoc nunquam fore, et statim a Cardinali discessit. Sed cum postea, repentina morte Sixti subsecuta, advocato P. Ximenio Cardinalis ille quaesivisset, quomodo sciverit, mutationem nominis Societatis non subsecuturam? respondit Cardinali Ximenius, se illud dixisse fundatum in praedictione P. Ignatii, qui similem difficultatem expertus a primis aliquot sociis initio dissuadentibus, ne nostra Religio Societas Iesu appellaretur, constanter perstitit, *se illi aliud nomen non inditurum, eo quod hoc nomen ei Deus ipse indidisset, quod nullus unquam mortalium immutaturus esset, et sperare se, in primo Concilio generali hoc nomen ab Ecclesia confirmatum iri.* Quod ipsum a P. Ignatio dictum esse scripsit P. Ioannes Polancus, ejus per novem annos Secretarius, in Vita S. P. Ignatii, quam Romae

in archivio Societatis legi. Et hoc ipsum dictum esse P. Polanco a S. Ignatio, scribit Orlandinus [1]). Et ipse Polancus in epistola supra a me citata scribit diserte, *credi, quod Ignatius ex divina revelatione Societatis Iesu nomen a se fundato Ordini indiderit.*

Sic etiam tempore Gregorii XIII. excitata fuit magna tempestas tam contra alia quam contra regulam IX et X Summarii, quae tamen auctoritate Apostolica a Gregorio XIII. post judicium, ut vocant, contradictorium, sopita est et decreto Pontificis damnata, tum viva voce, tum nominatim per Constitutionem Apostolicam ejusdem Gregorii duplicem, primo editam anno 1582 kalend. Febr., deinde anno 1584. 8. kalend. Iunii, in quibus Bullis omnes Constitutiones Societatis et Statuta, qualiacunque sint, amplissime confirmavit, et quidem non quomodocunque, sed *acsi ad verbum praesentibus* (id est Bullis) *inserrentur*. Quo etiam modo expresse Constitutiones et Bullas praeteritorum Pontificum confirmarunt Gregorius XIV. et Paulus V.

Porro improbationem supra dictarum regularum damnatam esse viva voce a Gregorio XIII. testatur Franciscus Suarez, sed magis distincte et fusius Alphonsus Rodericius [2]).

[1]) Orland. p. I lib. II n. 62. [2]) Suar. De religion. tract. X l. X c. 10. n. 1. Roderic. Exerc. perf. tom. III tract. 8 c. 6.

Sic etiam mortuo Gregorio XIII. adversarii Societatis, rati opportunum esse tempus impugnandi Societatis Institutum, sub Pontificatu Sixti V., tum quia erat assumptus ex Ordine Minorum quibusdam in rebus praxes contrarias Societatis legibus habentium, tum quia a Gregorio XIII. passus erat diminutionem suorum reditum, valide impugnare coeperunt nostrum Institutum, et graves querelas contra illud coram Sixto V. deposuerunt, ut scribit P. Claudius Generalis in Libro Industriarum. *Cum*, inquit, *nuper Sixtus V. felicis recordationis nonnullis Theologis et gravissimis Cardinalibus examinanda dedisset* (objecta contra Institutum Societatis), *illique nostris responsis auditis et scripto traditis et accurate examinatis ad Pontificem retulissent, nihil plane ille immutavit*[1]). Imo vero Gregorius XIV. sanctae memoriae, qui ei successit, amplissimo diplomate ea explicavit et confirmavit. Quin imo, cum quaedam in Instituto Societatis post mortem Gregorii XIV. sub Clemente VIII. nonnulli inquieti spiritus (uti eos appellat Paulus V. in sua Bulla) ad suam temeritatem impugnassent, eorum impugnationes hic Pontifex damnavit et totum Institutum Societatis magis quam Praedecessores confirmavit anno 1606, pridie Nonas Septembris.

Magna quoque ejusdem veritatis confirmatio

[1]) Industr. c. 15, 5.

est, quod omnes Romani Pontifices, a quibus Societas petiit confirmationem Instituti et Constitutionum, illud sine difficultate ex sua parte, et sine ulla exceptione per sua Diplomata confirmarunt. Et quidem primo viva voce Paulus III. id confirmavit anno 1539 3 Septembr., dum esset Tibure, et intellecto ex informatione S. Ignatii Instituto, dixit: *Spiritus Dei hic est,* et Patrum consilia et pia studia collaudavit, ut scribit Orlandinus. Postea per Bullam Pontificiam illud confirmavit anno sequenti V kalend. Octob. Deinde iterum confirmavit totum anno 1549. prid. Id. Mart. Postea Iulius III. cum majore declaratione illud confirmavit an. 1550. 12. kalend. Aug. Tandem Gregorius XIII et alii supra citati.

Porro circa primam Societatis per Pontificium Diploma confirmationem quatuor notanda sunt magna argumenta divini favoris erga Societatis Institutum, quae nos excitare debent ad illud amandum et ad vivendum juxta regulas illius et ad credendum, non esse illud humana industria, sed divinitus per S. P. N. Ignatium fundatum.

Primo, quod citius per Diploma Pontificium sit prima vice confirmatum, dum prima ejus confirmatio per S. Ignatium peteretur, quam Ordines Praedicatorum et Minorum, quamvis eorum Fundatores ob miraculorum famam tunc fuerint magis celebres quam S. Ignatius. Nam

Innocentius III., a quo petebant S. Dominicus et S. Franciscus Bullam suorum Ordinum confirmativam, eam non concessit illis. Siquidem, ut ait B. Ioannes de Saxonia, *Innocentius III. ad eorum confirmationem duras fuit* [1]).

Imo Ferdinandus de Castillo, eximius Scriptor historiae Dominicanorum scribit, Innocentium Papam, *etsi divina visione instructum, quod Deus S. Dominicum elegisset ad sustentandam Ecclesiam, non dedisse potestatem Dominico, quam petebat faciendi novam Regulam et novas Constitutiones cum nova forma vivendi, sed* (quemadmodum etiam legimus in Breviario Romano) *hortatus est, ut ad suos reverteretur in Galliam, et ut Religiones a Sede Apostolica approbatas inspiceret et ab illis sumeret id, quod faceret ad suum intentum. Et ita reversus Tolosam deliberavit cum Sociis, et S. Augustini Regulam elegit, Constitutiones autem et caeremonias particulares accepit ex Ordine Praemonstratensium* [2]). Haec omnia Ferdinandus, qui ait, anno 1216. 22. Decembr. fuisse confirmatum Ordinem Praedicatorum ab Honorio III. Hoc ipsum confirmat Thomas Malvenda, Abra-

[1]) Joann. de Saxon. De Comm. loc. lib. 1 c. 4.
[2]) Ferd. de Castillo Hist. de Praedic. c. 18. S. Anton. p. III tit. 23. c. 1 et tit. 24 c. 14. Wadding. Annales Minorum tom. I Ann. 1223 n. 16. Ann. 1215 n. 31. Theod. ab Apoldia Vita S. Dominici lib. I c. ult. Malvenda Centen. prim. Ann. 1216. Abrah. Bzovius Annales ad 1215 n. 6. Petrus M. Urceanus Const. c. I. p. 2.

hamus Bzovius. Et dicitur in Summario Constitutionum Ordinis Praedicatorum, edito Parisiis anno 1620 a Petro Martyre Urceano. Porro Franciscus Gonzaga, Generalis Ordinis S. Francisci, scribit quidem, Innocentium III. vivae vocis oraculo annuisse votis S. Francisci (quod etiam in Bulla asserit Honorius III.), sed demum Honorium III. ejus Ordinem confirmasse per Bullam peculiarem anno 1224, cum confirmationem petiisset ab Innocentio III. anno 1209, vel, ut Lucas Vadingus, accuratissimus Scriptor historiae Franciscanae, asserit, anno 1210. Porro S. Ignatius, cum primum petiisset confirmationem Societatis a Paulo III, statim eam vivae vocis oraculo obtinuit, et intra eundem annum etiam Bullam confirmationis ab eodem Pontifice impetravit a. 1546 27 Septemb.

Secundus favor erga Societatem est in ejus confirmatione facta tempore difficillimo. Quamvis enim tunc valde perturbarent ecclesiam novae haereses Lutheranorum et Calvinismi initia, partim in Germania, partim in Gallia, et imposturae Illuminatorum in Hispania, ideoque merito posset Paulus III. praetextu jussae deliberationis ad aliud tempus differre Instituti Societatis confirmationem vivae vocis oraculo faciendam, tamen intellectis Instituti capitibus sine difficultate et sine dilatione illud vivae vocis oraculo confirmavit.

Tertius erga Societatem divinus favor est

examen Instituti Societatis, commissum ab eodem Pontifice personis, a quibus favorem sperare Ignatius non poterat, felici successu conclusum. Etsi enim Paulus III. optime, ut dictum est, sentiret de Societatis Instituto, tamen, ut Societatem praemuniret a linguis loquentium iniqua, et ne videretur minus considerate in re tanta procedere, jussit Institutum Societatis in certa capita digestum examinari, et cognosci primum a Thoma Badia Dominicano, Sacri Palatii Magistro, magni judicii et doctrinae viro, postea ad Cardinalatum promoto, ut scribit Ribadeneyra [1]), deinde a tribus Cardinalibus, apud quos nihil erat loci gratiae, et in iis a Bartholomaeo Guidicciono, novis Religioni busadeo infesto, ut librum scripsisse dicatur ad multitudinem Religionum tantum ad quatuor Ordines reducendam. Hi tamen omnes, post multa hinc inde agitata, praesertim Guidiccionius, mutata sententia Societatis Institutum laudarunt et Pontifici magnopere commendarunt. Et quidem Guidiccionius ita, ut diceret: *Novas Religiones non probo, hanc tamen non probare non audeo, sic enim interius afficior eosque motus animi divinitus sentio, ut, quo me humana ratio non ducit, eo voluntas inclinet, et affectu invitus quodammodo complector, quod argumentis antea repudiabam*, uti scri-

[1]) Rib. lib. II c. 17.

bunt Ribadeneyra et Orlandinus [1]). Addit autem P. Hieronymus Natalis, *dicere eum postea solitum magnas et extraordinarias laudes nostri Instituti.*

Quartus Dei erga Societatem favor est, quod idem Paulus III. in prima Bulla supradicta confirmatoria Societatis fecerit potestatem Praeposito Societatis sine ulla restrictione novas condendi Constitutiones (quod Innocentius III. Sancto Dominico negaverat). Postea vero idem Paulus III. in altera Bulla, non cogens Ignatium ad ostendendas aut examini subjiciendas sibi vel a se subdelegandis factas vel faciendas Societatis Constitutiones, Apostolica auctoritate, de speciali gratia indulsit, ut Constitutiones Societatis factae, postquam mutatae, alteratae, sive de novo conditae fuissent, eo ipso Apostolica auctoritate confirmatae censerentur. Qui quatuor favores hoc ipsum confirmant, quod probandum assumpsi, nimirum Societatis Institutum S. Ignatio divinitus esse revelatum, ideoque cum his praeregativis ample confirmatum, sine minimae rei mutatione vel emendatione et difficultate.

CAPUT III.

Idem confirmatur ratione.

Et lumen naturae et Sacra Scriptura et SS. Patres et theologia et gesta in historiis eccle-

[1]) Rib. ib. Orland. lib. II n. 82. 83. Natal. in prima exhort.

siasticis conscripta infinitam Dei bonitatem et sapientiam ita se creaturis rationalibus communicare docent, ut nulli desit in suppeditandis auxiliis necessariis ad ea sive instituenda, sive perficienda, quae vult potissimum per valde dilectos servos suos extraordinaria vitae sanctimonia praeditos institui ac perfici. Cum ergo Deus Ignatium elegerit ad fundandum difficillimo Ecclesiae tempore novum Societatis Ordinem, ad cujus conservationem et incrementum erant necessaria nova Instituta, ut prudenter observavit Gregorius XIII. in secunda sua Bulla confirmatoria Societatis, dicens, *divinam providentiam pro temporum necessitate varia et salutaria Ordinum Instituta in Ecclesia sua produxisse, norisque in ea subinde nascentibus morbis nova remedia, norisque emergentibus hostium impugnationibus novum Regularium Ordinem excitare, et cuique illorum juxta cujuslibet peculiaris gratiae vocationem peculiares quasdam notas, propria insignia, ac opportuna ad finem, quem intendit, media suggessisse.* Ideo et S. P. Ignatio nova quaedam media inspiravit. Inspirasse autem per expressam et immediatam supernaturalem revelationem in supremo gradu prophetiae, (etsi argumenta supra dicta non haberemus) hoc solum sufficeret petitum ex more divinae providentiae omnibus saeculis usitato, quae multo magis se extraordinarie communicat creaturis rationalibus, praesertim sibi valde caris, tunc, cum major

est necessitas talis communicationis, maxime vero, si iisdem se extraordinarie communicavit, quando minus egebant tali extraordinaria et miraculosa communicatione. Nam, ut ait S. Dionysius Areopagita, *Deus impertitur suum cuique lumen pro cujusque dignitate*[1]*; et: Unaquaeque mens pro suo captu quam nitidissimae purgationis copiosissimi luminis absolutaeque perfectionis fit particeps*[2]*.* Cum ergo certissime sciamus et ex narratione vitae suae a S. Ignatio facta P. Ludovico Consalvo (de qua supra dictum est) et ex ejus vitae scriptoribus, P. Ribadeneyra, P. Maffeio, P. Orlandino[3]), cum, inquam certissime constet, S. Ignatio fuisse Manresae prophetice revelatum a Deo modum, quo mundum condidit, et multa SS. Trinitatis mysteria, quae fide divina credebat, et quidem sine ulla difficultate, item praesentiam Christi Domini in Eucharistia, item permulta alia, tum quae ad fidei mysteria pertinent, tum quae ad scientiarum cognitionem; et cum haec illi non ita fuerint necessaria scitu, sicut fuerunt res ad Institutum novum in Ecclesia fundandum pertinentes, multo magis credendum est, illas a Deo fuisse S. Ignatio ita immediate revelatas prophetice, sicut fuerunt res minus necessariae, imo ne necessariae quidem, loquendo in theologico rigore.

[1]) S. Dionys. Areop. De coelest. Hier. c. 3. (M. P. Gr. 3, 163). [2]) Ib. c. 10. [3]) Maff. lib. I. c. 7. 8. Orlan. lib. I. n. 22. 27.

Confirmatur primo hoc ipsum, quia, ut scribit P. Ribadeneyra [1]), S. Ignatius datus fuit in tutelam Archangelo, quod adeo insolitum est, ut hoc fieri neget S. Thomas [2]). Contrarium tamen esse probabile putat Magister Sententiarum. Durandus, Scotus, Marsilius, Vasquez, ubi etiam rationes S. Thomae contrarias bene solvit. Suarez vero id ex professo contingere probat. Quod sane valide confirmatur. *Primo* exemplo Beatissimae Dei Genitricis Mariae, cui pro custodia deputatum fuisse Gabrielem Archangelum asserit B. Petrus Damianus et Abulensis. *Deinde* exemplo S. Franciscae Romanae, cui Deus praeter Angelum Custodem ordinarium extraordinarium dederat Archangelum ex secundo choro primae hierarchiae, quem perpetuo diu noctuque videbat, et qui eam comitabatur per urbem, et a quo in omnibus dirigebatur et custodiebatur. Et post 24 annos, quibus S. Francisca perpetuo hunc Archangelum habuit suum comitem, consolatorem et directorem, visibilem oculis corporeis, datus est illi alter Archangelus loco hujus, longe nobilior, ex secunda hierarchia, ex quarto choro, scilicet Potestatum. Et cum sint in singulis choris novem mansio-

[1]) Ribad. lib. V. c. 3. [2]) S. Thom. I. qu. 112. a. 1. Petr. Lomb. l. II. sent. dist. 10. Dur. ib. qu. 1. Marsil. qu. 7. a 3. Vasquez p. I. d. 244. c. 2. n. 7. Suar. de Angel. c. 18. n. 10. S. Ioann. Damasc. serm. 1. de Nativ. Abul. qu. 60. in cap. XVIII. Matth.

nes, is erat ex prima mansione et caput omnium aliorum ejusdem mansionis, et primus in nobilitate post principalem Angelum chori supra dicti. Ab hoc Sancta defendebatur fortius et ardentius ab oppressionibus malignorum spirituum. Quod contigit illo die, quando fuit electa in Praesidentem Monasterii Turris Speculorum. Idem patet exemplo S. Gertrudis Virginis, quae Dei jussu scripto [1]) in Insinuationibus divinae pietatis Deo gratias agit: *Insuper in speciale ministerium mihi deputasti saepius nobilissimos Palatii tui Principes, non solum de choris Angelorum et Archangelorum, sed etiam altiorum, secundum quod pietas tua, benignissime Deus, mihi magis congruere judicabat, ut ad convenientiora sibi obsequia in spiritualibus exercitiis me promoveret.* Cum ergo ad fundationem novi Ordinis, quem Deus praeviderat multicipliter exagitandum et ab ipsis catholicis et ab haereticis, magis necessaria fuerit intrinseca illuminatio extraordinaria rerum in illo Ordine servandarum quam extrinseca tutela extraordinaria Archangeli, si hanc S. Ignatio dedit, multo magis dedit illam. Talibus enim personis in tali necessitate Dei providentia non deest, praesertim cum innumera sint exempla in vitis SS. Patrum, etiam non Fundatorum, quibus immediate Deus revelavit, et nunc adhuc etiam revelare solet, prophetice paene innume-

[1]) S. Gertr. Insin. div. piet. lib. IV c. 23.

ras res minoris momenti et minus necessarias scitu, tum illis ipsis personis, tum aliis, quam fuerunt S. Ignatio Fundatori Constitutiones et Instituta Ordinis et res ad has Constitutiones et Instituta spectantes.

Confirmatur secundo. Certissimum esse debet apud nos, saltem aeque certum, doctrinas Exercitiorum Spiritualium S. Ignatii esse ei a Deo revelatas, sicut credimus, multa esse revelata divinitus S. Catharinae Senensi, S. Teresiae et aliis Sanctis. Nam ita scriptores fide digni illud scribunt de S. Ignatii Exercitiis tanquam ei divinitus revelatis (uti ostendi in meis supra Exercitia notis cap. III), quemadmodum alii scriptores vitae S. Catharinae et S. Teresiae ac aliorum Sanctorum. Atqui ad Institutum Societatis constituendum magis necessaria sunt statuta proprium ejus vivendi modum continentia quam Exercitia Spiritualia. Statuta enim atque leges Societatis sunt tanquam partes intrinsecae corpus Instituti integrantes, Exercitia autem sunt quidem summe utilia, talia tamen, quibus perditis vel abolitis tanquam extrinseco auxilio essentia Instituti integra consisteret. Ergo a minori ad majus: Si Deus S. Ignatio immediate revelavit sive per se, sive per B. Virginem, sive per Angelum, Exercitia Spiritualia, multo magis immediate revelavit res intrinsecas Instituti Societatis.

Ex dictis colligitur primo, certissimum esse

debere, et res substantiales et nonnullas alias non substantiales Societati proprias nec communes cum aliis Ordinibus S. Ignatio esse divinitus revelatas, ut probatum est.

Colligitur secundo, spectata historicorum bonorum ac fidelium auctoritate, cui humana fides quoad res antiquas merito innititur, nos de hac veritate magis certos esse posse et debere quam sint aliqui alii religiosi Ordines, quod eorum Regulae Fundatoribus ipsorum sint revelatae divinitus. Nam, ut supra vidimus, habemus hujus rei testes omni exceptione majores, qui hoc ipsum ex ore S. Ignatii audiverunt; item, qui haec ipsa vivente adhuc S. Ignatio scriptis consignarunt eo ipso tempore, quo haec ab Ignatio audiverunt. Item habemus illa ipsa scripta, jurejurando confirmata a familiaribus S. Ignatii, et in processum ejus canonisationis relata Madriti coram Commissariis Apostolicis auctoritate Pauli V. Pontificis Maximi, ad demonstrandam illis scriptis S. Ignatii sanctimoniam honore canonizationis dignam. Nullius autem Ordinis historia est jurejurando confirmata, proinde ex hoc capite tantam auctoritatem et authenticationem ac inde ortam fidem et certitudinem humanam de hac re non habet, quod Regulae eorum sint divinitus revelatae. Nullus enim eorum historicus Fundatoribus eorum familiaris id scripsit et se id audivisse ab ipso Fundatore narravit; item nullus historicus jure-

jurando confirmavit, partem ullam suae historiae, praesertim de Regula sua, Deo revelante acceptam, sicut noster Ribadeneyra non semel coram Commissariis Apostolicis examinatus veritatem rerum a se de S. Ignatio (cujus erat familiaris et intimus) scriptarum jurejurando confirmavit.

Colligitur tertio ex dictis, eximio nos, qui in Societate sumus, esse affectos Dei beneficio, quod simus ad hanc Societatem vocati, cujus Institutum Deus S. Ignatio peculiari quodam modo revelavit (scilicet revelatione mere intellectuali, sine adminiculo phantasiae et sensuum, ut infra cap. VI. demonstrabo). Revelavit quidem Deus S. Pachomio Regulam per Angelum, ut dicitur in Martyrologio Romano et ut antiqui historici testantur: revelavit etiam B. Posthumio per Angelum Regulas, quae habentur in Vitis Patrum apud nostrum Rosveidum; revelavit procul dubio et aliis Fundatoribus quarundam Religionum, uti S. Benedicto, S. Dominico, S. Francisco, sed pervolutis historiis ecclesiasticis et omnium ordinum non inveniemus scriptum esse in iis, tot modis revelatas esse caelitus ullius ordinisRegulas, quot scimus intervenisse in revelatione rerum nostri Instituti. Siquidem intellectuali revelatione revelavit Deus illud, ut cap. VI. ostendam et uti supra dictum est cap. I.: dum S. Ignatius Constitutiones scriberet, non tantum Beatam Virginem Mariam saepe vidit,

ea, quae in Constitutionibus statuebat, confirmantem, sed etiam alias divinas personas, modo Deum Patrem, modo Spiritum S., modo omnes personas SS. Trinitatis, prout ipse S. Pater narravit P. Ludovico Consalvo; et hoc ipsum ipse Sanctus scripsit plurimis in locis in libro suarum visionum, cujus libri honorificam faciunt mentionem P. Ribadeneyra, Maffeius, Orlandinus. Ego illum anno 1597 Romae ex autographo Romano transscripsi et apud me habeo et servo tanquam pretiosissimum thesaurum. *Addo* et hoc pro nostro communi solatio, quod, dum S. Ignatius deliberaret, an deberet concedere reditus templis et sacristiis Domorum professarum, inter alias apparitiones et B. Virginis et divinarum personarum in hoc puncto illum illuminantes et confirmantes scriptum reliquit in eodem libro, *sibi apparuisse modo insolito Spiritum S. in claritate et flamma ignea, et Christum Dominum in specie solis lucidissimi.* In qua solis specie olim apparuerat in oratione vigilanti S. Brigittae, praesente B. Virgine Maria et sancto Angelo, ubi Angelus explicans illam visionem ait: *Sol significat Christum in Deitate sua* [2]). Et Deus Pater S. Catharinae Senensi dixit: *Spiritus S. a me Patre et ab ipso Filio meo procedit, quia sumus*

[1]) Ribad. lib. IV b. 2. Maff. lib. III c. 1. Orland. lib. X n. 56. [2]) S. Brig. Revel. lib. IV c. 7. et 138. Dialog. c. 110.

idem ipse sol. Ex quibus apparitionum modis non temere colligere possumus, has divinas personas in tali specie S. Patri nostro se praebuisse videndas, ut agnosceremus, ita illum cognovisse divinitus res Instituti nostri, sicut agnoverunt Apostoli, dum illis in specie ignis idem S. Spiritus apparuit et divina mysteria revelavit, et sicut Christus Dominus, *lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut ait S. Ioannes Evangelista[1]) doctrinam evangelicam suis Apostolis immediate patefecit per seipsum. Ita et Ignatium per seipsum immediate docuit, quae in Societate suo nomine insignienda et substantialia esse debebant et ad integritatem substantialium pertinere, quae suo loco recensebo.

Merito ergo post haec, sed multo ante haec a me scripta jurejurando confirmarunt, hanc divinam revelationem factam S. P. N. Ignatio diu ante fundatam Societatem et in universa Societate a primis ejus initiis vulgatam et creditam esse, admodum Reverendus P. Noster Mutius Vitellescus, Praepositus Generalis, aliique gravissimi Societatis nostrae Patres, etiam a S. Ignatio in Societatem recepti, relati a Reverendo Patre Rho[2]), et a me supra nominati et excerpti ex ejus praestantissimis interrogationibus apologeticis anno 1541 Lugduni impressis, aeterna memoria dignis.

[1]) S. Joann. 1. [2]) Rho S. J. Interrog. apolog. n. 19.

Ex dictis apparet, male quosdam e nostris auctoribus sensisse ac scripsisse [1]), Ignatium aliquas Regulas nostras mutuasse ex Regulis aliarum Religionum antiquiorum. Hoc enim est prorsus falsum, quia S. P. N. Ignatius nec ante scriptas Constitutiones Societatis (ex quibus sunt excerptae nostrae Regulae Summarii), nec dum eas scriberet, nec postea, legit Regulas aliorum Ordinum, imo nec eas in suo cubiculo aut bibliotheca habuit, sed solum Novum Testamentum et Thomam de Kempis de imitatione Christi et Missale, quod pridie Missae discendae curabat sibi adferri, in quo totam Missam die sequenti dicendam legebat, toties quoties eam erat dicturus, ut scribunt Orlandinus [2]), et Ludovicus Consalvus in Diario supra commemorato, et ego diligentissime indagavi a duobus olim cubiculariis S. P. Ignatii, cum quibus Romae aliquot annis vixi. Unus erat P. Ioannes Ignatius, alter laicus Ioannes Paulus Borellus. Praeterea totam bibliothecam Domus professae a tempore S. Ignatii in ea domo retentam curiose lustravi, sitam prope cubiculum S. Patris, nec in ea ullum prosus talem librum inveni, ex quo aliquam Regulam S. P. N. Ignatius mutuare posset. Sed ille Spiritus S., qui aliis Fundatoribus Regulas inspiravit, similes

[1]) Nigron. Commen. In Reg. com. Rodr. p. III tr. 5 c. 3. [2]) Orland. p. I lib. X n. 62.

etiam inspiravit S. Ignatio, sicut videmus inspirasse Evangelistis posterioribus, qui eadem scripserunt, quae scripserunt priores. Non est autem mirum, illos scriptores putasse, S. Ignatium aliquas Regulas ab aliis accepisse, quia nullus eorum viderat archivium Romanum nec indagaverat a Sociis S. Ignatii, quales libros in suo cubiculo habuerit, uti nos cum Orlandino fecimus, curiosissimi indagatores rerum S. Patris. Ideo Ribadeneyra, familiaris et olim etiam cubicularius S. Patris, nil tale de S. Patre scripsit, sed prorsus contrarium, ut supra demonstravimus.

CAPUT IV.

Solvuntur objectiones.

Ut veritas rerum supra dictarum magis confirmetur, haec venerunt in mentem, quae, vel impugnandi studio vel rem melius intelligendi, aut objici aut proponi possunt et solvenda videntur, a me et ab aliis meo rogatu de industria objecta.

Objicies primo: Si Deus quaedam revelavit S. Ignatio, cur non omnia, verum reliquit aliqua ejus prudentiae? *Respondeo,* hunc esse Dei morem, ut prophetice non revelet, nisi ea, quae naturali modo hic et nunc sciri non possunt ab

eo, cui aliquid revelatur. Item non solet revelare Deus nisi res majoris momenti. Tunc enim tantum media miraculosa et extraordinaria revelationum adhibet, quando per ordinaria et naturalia media hic et nunc res haberi non potest. Non esset enim etiam hominis prudentis per difficilia et operosa media aliquid quaerere, quod posset per facilia et pervia. Ideo, quod naturali prudentia poterat Ignatius assequi, hoc ejus naturali prudentiae statuendum Deus reliquit. Atque hanc gubernandi rationem Deus in hierarchia ecclesiastica primo cum Apostolis tenuit, deinde cum successoribus Apostolorum. Nam certum est, eum Apostolis revelasse doctrinam evangelicam, tum ad dogmata fidei, tum ad institutionem morum, tum ad aliquos ritus sacros colendi Deum pertinentem. Hinc Apostolus ait, *se factum Apostolum non ab hominibus neque per homines, sed per Iesum Christum* [1]: *Neque ab homine accepi illud* (scilicet Evangelium) *neque didici, sed per revelationem Iesu Christi* [2]. Unde ait: *Cactera, cum venero, disponam* [3]. Quod Sanctus Augustinus et omnes catholici Doctores et nonnulli ex doctoribus haereticis, ut Antonius Sadeel, et Vitackerus, et Piscator, intelligunt ab Apostolo de ecclesiasticis ritibus in Scriptura non revelatis dictum. Sic enim ait:

[1]) Ep. ad Galat. 1, 1. [2]) Ep. ad Gal. 1, 11. [3]) I Cor. 7, 12.

Cæteris ego dico, non Dominus etc. Ubi statutum suum immediate propositum contradistinguit a doctrina per revelationem a Domino tradita. Simili modo per Romanos Pontifices et per Concilia Deus omnibus saeculis per humanam illorum prudentiam plurima constituta esse voluit, doctrina a se Prophetis et Apostolis revelata non contentus. Quid mirum ergo est, quod hunc morem servarit etiam cum S. Ignatio? Sic etiam, quamvis Christus Dominus S. Brigittae Regulam (ut vocant) Salvatoris ore proprio dictarit (ut patet in Revelationibus S. Brigittae, post libros 8. immediate, et Sedes Apostolica, imo tota Ecclesia in Breviario Romano testatur lectione VI in festo S. Brigittae, a pluribus Pontificibus approbata) tamen ipse Servator (capite 26. Regulae) remittit S. Brigittam, *ut aliqua Regulae addenda inquirat a devotis aliquibus Fratribus de Regulis Benedicti vel Bernardi, qui huic Regulae inscribant, quomodo excessus emendandi sunt in monasterio et quomodo mortui sepeliendi, et quomodo visitabit Episcopus, et pro quibus casibus ingredietur monasterium, et alia necessaria, quae in his verbis non narrantur, ad hujus Regulae roborationem, assumantur de regulis supra dictis:* Haec Salvator. Eodem modo praeter res substantiales S. Ignatio revelatas, alias minoris momenti ejus prudentiae reliquit.

Objicies secundo: Si S. Ignatius a Deo multa revelata accepit circa Societatis Institutum et

Regulam, non erat necesse petere confirmationem Instituti a Vicario Christi. *Respondeo* negando consequentiam. Nam et Apostolus Paulus *non ab hominibus, nec per homines Apostolatum et doctrinam evangelii, sed a Deo accepisse se per revelationem,* ait, *et illam praedicasse, et Christum per se, et in se loqui, ac Deum per se exhortari, et se Spiritum Dei habere* scripsit [1]), tamen eodem Deo revelante jussus est conferre evangelii doctrinam, quam praedicabat et quam per revelationem Iesu Christi didicerat, cum Apostolis, *ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset* [2]*:* non quod indigeret confirmatione eorum doctrina certa et divinitus accepta, sed ut alii, quibus tradenda erat, illi crederent, cum viderent approbatam etiam ab Apostolis, ut ait S. Augustinus et Tertullianus [3]). Eandem ob causam etiam S. Franciscus suae Regulae confirmationem a Papa petiit et obtinuit, quam certissimum est ab ipso Christo esse ei immediate traditam. Similiter idem S. Franciscus indulgentiam (ut vocant) Portiunculae a Christo immediate concessam, etiam a Papa confirmari petiit. Quin et Christus Dominus ipse post dictatam S. Brigittae ore proprio Regulam jussit illius confirmationem petere a Papa; jussit enim haec verba

---

[1]) Ep. ad Gal. 1, 1. 12. Ep. ad Rom. 15, 18. II Cor. 6, 20. 13, 3. 9. I Cor. 7, 40. [2]) Ep. ad Gal. 2, 2. [3]) S. Aug. contra Faustum lib. XXVIII. Tertull. contra Marcionem lib. IV c. 2.

ab ea dici suo nomine Urbano Papae: *Ego obtuli tibi Regulam Religionis, nunc autem volo, ut non solum auctoritate tua confirmetur, sed et benedictione tua, qui Vicarius meus es in terris, roboretur. Ego dictavi eam, et dotavi spirituali dote* [1]). Quocirca et S. Ignatius, ut apud alios conciliaret auctoritatem suae Regulae, ejus confirmationem a Sede Apostolica petiit et impetravit, et multis annis antequam eam fecisset et postea.

Objicies tertio: Si Regula S. Ignatio divinitus revelata est, non debuit eam judicio Patrum subjicere et potestatem eis facere a se factas Constitutiones examinandi, ut, si quid mutandum vel addendum vel inducendum esset, id libere ac fideliter indicarent, ut scribit Orlandinus [2]). Imo non debuisset dare potestatem Hieronymo Natali, post approbatas jam a Patribus antea anno 1550 Constitutiones, eas corrigendi ac immutandi, quam tamen dedit mittens eum anno 1551 ad eas promulgandas, ut scribit Orlandinus [3]). *Respondeo:* In Constitutionibus sunt quaedam, quae pro varietate locorum et temporum et nationum mutari poterant, et quae S. Ignatius naturali sua prudentia statuit, et talium mutationes judiciis Patrum reliquit, ut expresse scribit Orlandinus. Et alia etiam mutandi P. Natali potestatem fecit, si opus esset; alia vero essentialia et quaedam non essentialia suis

[1]) S. Brig. Revel. lib. IV c. 137. [2]) Orland. lib. X n. 48. [3]) Orland. lib. XII n. 7.

sociis et Natali mutanda non permisit, quae ubique gentium servari possunt et debent. Imo, etsi S. Ignatius judicio Patrum ea quoque statuta subjecisset, quae ei divinitus revelata fuere, bene tanquam humilis fecisset et prudens, tum quia certus erat, illa a Patribus non mutanda, tum quia etiamsi aliquorum mutationem suasissent, id non vocaret in dubium certitudinem divinae revelationis. Sic enim fecit Moyses, qui quamvis divinitus de itinere post transitum maris rubri edoceretur, *nam ipse Dominus praecedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, eratque eorum dux itineris utroque tempore*, ut dicitur in Exod. [1]) usque adeo, *ut ad imperium Domini proficiscerentur, et ad imperium illius figerent tabernaculum* [2]) et ita quidem, *ut nunquam defuerit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem. Et cum ablata fuisset nubes, quae tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel et in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur.* Tamen sine praejudicio certioris ductus divini quam soleant esse revelationes internae, Moyses recurrit ad Hobad Madianitam ethnicum, ut sibi et populo suo *viae per desertum ductor esset*, doceretque, quibus in locis castra esse deberent [3]). Quamvis *Moysi Dominus loqueretur facie ad faciem, sicut homo solet ad amicum suum* [4]), et: *Qui*

[1]) Exod. 13, 21. [2]) Num. 9, 17. [3]) Num. 10, 29. [4]) Exod. 33, 11.

palam, et non per aenigmata uti alii prophetae nec per figuras Dominum videbat[1]), ac proinde poterat in occurrentibus dubiis ad ipsum Deum recurrere. Simili ergo modo etiam circa res sibi revelatas sine praejudicio divinarum revelationum S. P. Ignatius exquisivit consilium a Sociis, sicut ei S. Paulus Apostolus et alii Apostoli circa res ab ipso Deo revelante cognitas ad aliorum quoque consilia prudenter recurrerunt.

Objicies quarto: S. Ignatius quibusdam in rebus tacit potestatem Superioribus dispensandi in rebus a se statutis, seu eximendi aliquos ab aliquarum observantia, quod non permisisset, si res illae ab ipso Deo statutae fuissent. *Respondeo primo.* S. Ignatium circa tales res potestatem dispensandi fecisse, quae pro necessitate aliquando servari non possunt, et quae ab eo humana prudentia sunt institutae, non divinitus ipsi revelatae. *Respondeo secundo:* Etiamsi hanc potestatem dispensandi fecisset circa res divinitus sibi traditas et a se Deo revelante institutas, id non praejudicaret certitudini revelationis, sicut non praejudicat indissolubilitati matrimonii immediate a Deo institutae, quod postea Moyses in certis casibus permisit libellum repudii, quamvis, ut Christus ait, *ab initio non fuit sic*[2]). Cujus permissionis, etsi duritia Iudaeorum

[1]) Exod. 12, 8. [2]) Deut. 24, 11. Evang. S. Matth. 9, 8.

occasio fuerit, tamen per dispensationem Moysis, ex Dei voluntate factam, repudiatio uxorum per libellum, sine peccato postea fiebat, adhibitis certis conditionibus in Scriptura expressis. Sic etiam Constitutio illa in primo Concilio Apostolico facta ex decreto ipsius Spiritus Sancti: *Visum est Spiritui Sancto et nobis de abstinendo a sanguine et suffocato* [1]), etsi durarit usque ad tempora Tertulliani et Minutii Felicis, ut ipse fatetur in Octavio, imo usque ad tempora Bedae et Rabani, ut patet ex ejus Poenitentiali, tamen postea servari desiit et tempore S. Augustini non servabatur ex dispensatione Superiorum Ecclesiae, ut scribit S. Augustinus [2]), quamvis haec Constitutio vocetur *necessaria,* et conjungatur simul cum prohibitione fornicationis, quae semper vitanda est. Nec enim opus est, ut leges a Deo immediate latae vel ex immediata Dei revelatione ab aliis statutae semper et ubique et ab omnibus serventur, et ut locus non sit dispensationis.

Nam Deo immediate revelante ac statuente non licebat sacrificia offerre Deo nisi in certo loco, scilicet vel ante tabernaculum vel ante arcam; tamen sine ullo peccato non semel a piis viris oblata sunt Deo sacrificia extra illa loca. Sic oblatum est a Samuele in Masphat, quando

[1]) Act. Ap. 15, 28. [2]) S. August. contra Faustum lib. 32. cap. 3. (M. P. L. 42).

arca erat in Gabaa, ubi etiam mansit usque ad tempora Davidis. Quin et tabernaculum tunc non fuit in Masphat, sed manserat in Silo (sola inde arca accepta alio). Ex Silo vero tabernaculum delatum fuit in Nobe, postea in Gabaa una cum altari holocaustorum, ibique mansit post Davidis mortem regnante Salomone, unde in templum Salomonis postea, uti et arca fuit illatum [1]. Placuisse tamen Deo hoc sacrificium Samuelis, factum per dispensationem extra locum a Deo immediate praescriptum, patet ex eo, quia ob hoc sacrificium, dum actu illud offerret (ut I. Reg. 7, 9. 10 expresse dicitur), *exaudivit eum Dominus. Intonuit autem Dominus fragore magno super Philistiim, et caesi sunt a facie Israel.* Sic etiam de praecipuo Paschae festo primo mense celebrando lex erat immediate per Deum revelantem lata et per Moysen promulgata [2], tamen celebravit illud Ezechias, praemissa consultatione cum sacerdotibus et aliis, mense secundo, et quidem ob causas longe diversas ab iis, ob quas permiserat Deus illud celebrari mense secundo, ut manifeste patebit conferenti inter se utrumque locum [3]. Hoc tamen factum et mandatum Ezechiae non displi-

---

[1]) I Reg. 7, 1. — II Reg. 6, 2. — Paral. 13, 3. — I Reg. 4, 4. — I Reg. 21, 7. — I Paral. 16, 37 et 21 29. — II Par. 1, 3. — III Reg. 8, 4. [2]) Lev. 23, 5. Num. 28, 16. Exod. 12, 2. [3]) II Paral. 30, 2. Num. 9, 10. 11.

cuit Deo, sed placuit. *Primo,* quia decretum de hac celebratione, etsi ex dispensatione latum contra leges supra citatas, appellatur *Verbum Domini*, hoc est, Dei, hebraice *Iehova* [1]). *Secundo,* quia eodem capite versu ultimo dicitur, *exauditam esse vocem Sacerdotum atque Levitarum,* (mense secundo Pascha hoc celebrantium) *pervenisseque orationem in habitaculum coeli. Tertio,* quia infra [2]) ob hoc et alia similia facta sic laudatur Ezechias: *Fecit ergo Ezechias universa, quae diximus in omni Iuda, operatus est bonum et rectum et verum coram Domino Deo suo, in universa cultura ministerii domus Domini, juxta legem et ceremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo, fecitque et prosperatus est.* Quinimo tota Lex Vetus a Deo immediate revelata, et tandem per Christum fere quoad omnia abrogata est. Poterat ergo etiam S. Ignatius res a Deo immediate revelatas et constitutas, justas ob causas, et per se non servare et Superioribus potestatem facere dispensandi. Sic fecit et Apostolus Paulus. Quamvis enim sciret, circumsionem post Christi Ascensionem non debuisse adhiberi, quippe a Christo adeo sublatam, ut ipsemet scripserit ad Galatas: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* [3]), tamen ipse circumciderat Timotheum [4]). Sic et je-

[1]) II Par. 30, 12. [2]) II Par. 31, 20. 21. [3]) Ep. ad Gal. 5, 2. [4]) Act. Ap. 16, 3.

junium quadragesimale SS. Patres docent vel divinitus vel ab ipso Christo esse institutum, et tamen in eo propter justas causas passim dispensatur [1]).

Objicies quinto: P. Suarez non dicit ita clare uti a nobis dictum est, res Instituti esse revelatas S. Ignatio, sed cum quadam formidine; sic enim scribit: *Si quis pie credat, directionem hanc per expressam Revelationem Beato Ignatio saepe factam esse, nihil fortasse a veritate deviaret, ut ex historia vitae ejus intelligi potest. Quidquid vero sit de expressa Revelatione, saltem specialis instinctus Spiritus S. per specialia dona superiora ordinariis virtutibus et auxiliis earum negari non potest* [2]). *Respondeo,* P. Suarium ita scripsisse modestiae causa, quia scribebat, ut hoc opus typis vulgaret; volebat autem evitare malevolorum obtrectationes, quibus illo tempore, quo ista scribebat, Societas valde impetebatur et Romae et alibi. Scribebat enim haec anno 1595, uti ipse expresse ait tractatu et libro citato (initio libri ante caput 1). Deinde P. Suarius non habuit nec legit ista scripta, quae mihi a P. Claudio Aquaviva Generali, partim ex ipsius peculiari archivio (ex quo Diarium S. Ignatii ab ipsomet P. Claudio mihi accomodatum acceperam),

[1]) S. Ambr. De quadrag. serm. 34. S. Hieron. in c. 58. Isaj. et in c. 3. Ionae. S. Aug. in Ps. 100. S. Leo serm. 9 et 12 de Quadrag. [2]) Suar. De Relig. tract. X lib. I c. 4. n. 13.

partim ex communi Societatis, tradita fuerunt, ut ex illis materiam colligerem pro prima parte Historiae Societatis, quam scribebat tunc P. Nicolaus Orlandinus et senio et valetudine debilitatus, cui pro hac re a P. Claudio adjutor datus eram, et ea occasione praeter alia ista, quae dixi, excerpsi. Praeterea, quando illa scribebat P. Suarius, nondum juramento confirmaverat P. Ribadeneyra res a se in Vita S. Ignatii scriptas. Nec scriptum illud P. Ludovici Consalvi vivente S. Ignatio factum fuit auctoritate Apostolica authenticatum et relatum in processum canonisationis vigore litterarum compulsorialium, ut vocant Romani, concessione et auctoritate Pauli V. expeditarum, ex quo P. Consalvi scripto retulimus, S. Ignatium P. Consalvo dixisse, etiam res non substantiales Instituti eum didicisse ex divina magna illustratione, hoc est revelatione, modestissime enim S. Pater res sibi divinitus concessas referebat. Sed tamen, quae P. Suarez loco citato scribit, si modestiae specimen separes, hoc ipsum enuntiant, etsi non ita aperte, quod nos clare diximus. Ait enim: *Credendum esse, B. Ignatium non solum habuisse quomodocunque Spiritus S. excitationem et inspirationem, sed etiam specialissimam directionem, ut ab eo, quod Ecclesiae opportunum erat, imo etiam ut tam prudens opus et immensum posset concipere et architectare.* Ibidem Suarius agnoscit, *per specialem instinctum Spiritus S. Beatum Ignatium In-*

stitutum Societatis fundasse. Et addit: *Verum censeo, in his, quae pertinent ad substantiam Instituti (sub quibus ea omnia comprehendo, quae a Sede Apostolica expresse in specie recognita et approbata sunt), ita fuisse Ignatium motum et directum a Spiritu S., ut neque erraret, neque ab eo, quod Ecclesiae utile et opportunum futurum esset, deviaret, non quod putemus, singula verba ejus a Spiritu S. fuisse dictata, sicut in Tomo de fide diximus de Scriptore canonico, sed quod res ipsae, in quibus substantia Instituti consistit, fuerint praedicto modo suggestae ex speciali providentia Spiritus Sancti.* Quod postea bene probat variis modis, qui apud eum videri possunt. Quia tamen Instinctus propheticus est quid infimum in genere prophetiae, ut docet S. Thomas [1]), et ut ex dictis supra didicimus, altiore gradu prophetico, imo supremo, qui in hac vita a Deo conceditur Sanctis, Sanctus Ignatius res Instituti Societatis cognovit, ideo ad immediatam et perfectam Dei revelationem res nostri Instituti referendae sunt, id quod adhuc magis declarabo infra capite V. in responsione ad quaesitum tertium.

Objicies sexto: Si Deus Manresae revelavit S. Ignatio Societatis Institutum et si hic, antequam Romam venisset, Quadrato praedixit, eum fore Collegii Societatis Iesu fundatorem (ut supra dictum est), cur congregatis postea

[1]) S. Thom. II 2 qu. 173 a. 4.

Parisiis Sociis Hierosolymam ire voluit et ad id se voto peculiari adstrinxit, habens animum, si liceret, etiam ibi remanendi, ut scribunt Ribadeneyra et Orlandinus? *Respondeo primo:* Votum de profectione Hierosolymitana non infirmare id, quod dictum est, sed penitus confirmare. Votum enim erat de essentia Instituti Societatis, scilicet de procuranda salute proximorum, sive Hierosolymis (si id liceret), sive alibi pro arbitrio Romani Pontificis; secunda enim parte voti voverat, cum Sociis suam operam se oblaturum in salutem proximorum. Cum igitur ob impedimenta, quae describit Ribadeneyra, non potuerit Hierosolymam pergere, Romam perrexit, votum exolvens Pontificem adiit, Romaeque Societatem fundavit. *Respondeo secundo:* Quamvis objectio nullius sit momenti, ut responsum est, si tamen vim aliquam haberet, ad summum id probaret, Sancto Ignatio, dum Parisiis voto illo se obligaret, nondum divinitus revelatum fuisse, quo tempore et loco Societatem fundaturus esset, an Hierosolymis an Romae. Hoc tamen (etsi verum non est) nihil derogat assertioni nostrae, duas ob causas. *Primo,* quia neque Moysi neque Prophetis neque Apostolis ipsis Deus omnia simul revelavit, et quidem magis necessaria ad salutem quam sit Institutum Societatis, ut patet ex li-

[1]) Rib. lib. II c. 4. Orland. lib. I n. 90, 91.

bris Prophetarum et Moysis, et quoad Apostolos ex dicto Christi: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*[1]. *Secunda causa* est, quia, ut observarunt S. Ambrosius et S. Augustinus, in ipsa substantia rerum et veritatum a Deo revelatarum Prophetis, non omnia revelabat Deus spectantia ad illa intelligenda, quae ipsis tunc et immediate revelabat [2]). Sic Daniel [3]) vidit visionem quatuor bestiarum, quam quia non intelligebat, quid significaret, petiit et obtinuit ejus declarationem. Sic idem non intellexit arietis et hirci visionem, ideo ipsius explanationem quaesivit, eamque a Gabriele accepit. Sic idem jejunans et orans visionis intelligentiam didicit ab Angelo [4]). Idem scribit: *Ego audivi et non intellexi, et dixi: Domine mi, quid erit post haec? Et ait: Vade, Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad praefinitum tempus.* Similiter Zacharias (c. 4) vidit candelabrum cum septem lucernis et duas olivas, nec tamen intellexit, sed sed postea explicationem ab Angelo petiit et obtinuit. Simili ergo modo potuit Deus revelasse S. Ignatio Societatis Institutum ante Parisiensem commorationem, et postea revelare locum

[1]) Ev. S. Ioann. 16, 12. [2]) S. Ambr. de Abraham lib. I c. 8. S. Aug. De civit. Dei lib. VII c. 11. [3]) Daniel, c. 7, 16. 17. et c. 8. [4]) Dan. 10, 12 seq. 12, 8.

et tempus, quo Societatem fundaturus erat. Mea tamen opinio est, et locum et tempus multo antea S. Ignatio fuisse revelata, illum tamen uti prudentem et humilem noluisse haec et similia ante fundatam Societatem, propter causam paulo post dicendam, manifestare.

Objicies septimo: Si Deus S. Ignatio revelavit Institutum Societatis et alia quaedam, non erat S. Ignatio necesse de eo cum Sociis Romae deliberare, uti deliberavit per tres menses, de statuendis rebus ad Societatis Institutum spectantibus (testibus Ribadeneyra et Orlandino) [1]).

Respondeo, eandem ob causam S. Ignatium adhibuisse deliberationem de rebus Instituit cum Sociis, ob quam et Paulus Apostolus et alii Apostoli de observatione caeremoniarum quarundam veteris legis deliberarunt, quamvis ex divina revelatione ipsis facta optime scirent, quid facto opus esset, attamen non obtrudendo suas revelationes, sed per praemissam deliberationem et consultationem statuerunt ea, quae iis a fidelibus observanda videbantur. Quocirca cum Antiochiae quidam Iudaei conversi ad fidem Christi dicerent, non posse Christianos salvari, nisi circumciderentur, *Facta seditione non minima Paulo et Barnabae adversus illos, statuerunt, ut ascenderent Paulus et Barnabas, et qui-*

[1]) Ribad. lib. II c. 13. Orland. lib. II n. 58. 60 seq.

dam alii ex illis ad Apostolos et Presbyteros in Ierusalem super hac quaestione [1]), de qua procul dubio antea revelationem habuerunt. Sic, cum deinde etiam Hierosolymis quidam Pharisaei conversi surrexissent, dicentes, quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Moysi, Apostoli non auctoritate revelationis sibi factae, quam habebant, sed communi consilio et deliberatione praemissa rem deciderunt [2]). Ut enim ibidem scribitur: *Convenerunt Apostoli et Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit.* Et rel. Et hac ratione in Concilio illo Hierosolymitano, non facta ulla mentione revelationis occultae, statuerunt Apostoli, quae statuenda erant, et quidem prudenter ita egerunt. Sciebant enim, incredulos esse homines et aliorum revelationes aut irridere aut non admittere. Malebant ergo illam deliberationis rationem inire, quam multo facilius protervorum admittit credulitas; et hunc quidem procedendi modum a Christo Magistro suo didicerunt. Quamvis enim ille *sciret omnia* [3]), et quamvis *in eo essent omnes sapientiae thesauri et scientiae absconditi* [4]), tamen agendo cum hominibus, etiam cum Apostolis, qui majorem de Christo quam Socii de S. Ignatio habebant opinionem, humano modo cum iis procedebat et

[1]) Act. Ap. 15, 2. [2]) Act. Ap. 15, 5 sequ. [3]) Ev. S. Ioann. 16, 30 sq. [4]) Ep. ad Col. 2, 3.

exquirebat consilia. Hinc saturare volens quinque millia hominum petiit consilium a Philippo, dicens: *Unde ememus panes, ut manducent hi? ipse enim sciebat, quid esset facturus* [1]). Nec nisi audito responso Andreae indicantis, esse ibi quinque panes et duos pisces, jussit turbam discumbere et saturavit eam. Postea iterum satiaturus plus quam quatuor millia hominum, quamvis sciret, quid faciendum esset, tamen de hoc cum discipulis deliberare voluit, ideoque convocatis illis dixit: *Misereor turbae, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent, quod manducent, et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Et (uti fit in deliberationibus, in quibus proponuntur in contrarium difficultates ab iis), dicunt ei discipuli: *Unde ergo nobis in desertos panes tantos, ut saturemus turbam tantam? Et ait illis Iesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem et paucos pisciculos.* Tunc auditis primum sententiis discipulorum Christus resolvit se ad faciendum, quod fecit, etsi certius quam sciebant Prophetae sibi divinitus revelata sciret, quid posset facere et ex affectu commiserationis vellet. Et ita accipiens quinque panes et duos pisces, *gratias agens fregit et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes et saturati sunt* [2]). Sic et Apostolus Paulus in re minoris momenti, quamvis sciret,

[1]) Ev. S. Ioann. 6, 5. [2]) Ev. S. Matth. 15, 32 seq.

quid posset de Onesimo, servo Philemonis, disponere; tamen scribens ad eum ait: *Sine consilio tuo nihil potui facere*, et causam subnectit, quae in deliberatione S. Ignatii cum Sociis magis locum habet; *uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*[1]). Sic Deus ipse sciens omnia, quaesivit, *Adam, ubi es?*[2]) et: *Ubi est Abel, frater tuus?*[3]) Sic Angeli, bene scientes talia, interrogant Loth: *Habes hic aliquem tuorum? generum aut filios?*[4]) aut filias? Sic Christus Dominus, uti ponderat S. Chrysostomus[5]), ob similem objectionem factam ab haereticis contra divinitatem Christi Domini, dixit Marthae et Mariae: *Ubi posuistis eum?* Sic Deus dixit Abrahae: *Clamor Sodomorum et Gomorrhae multiplicatus est. Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam*[6]). Qui novit omnia, antequam fiant, qui corda et renes scrutatur Deus! Et quamvis Deus sciret, quomodo decipiendus erat Achab, tamen ait: *Quis decipiet Achab Regem Israel? Et dixit unus* (angelus ex multis ei assistentibus) *verba hujusmodi, et alius aliter. Egressus est autem spiritus* (id est daemon) *et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? Et ille ait:*

---

[1]) Ep. ad. Philem. v. 14. [2]) Gen. 3, 9. [3]) Gen. 4, 9. [4]) S. Chrys. Serm. XI in Quatrid. Lazar. [5]) Gen. 18, 20. [6]) III Reg. 22, 21.

Egrediar et ero spiritus mendax. Et dixit Dominus: Egredere et fac ita [1]). Quae omnia cum sciverit Deus, antea tamen voluit more humano cum aliis consultare. Simili modo, quamvis jam antea sibi Isajam in Prophetam elegerat eique multa revelarat exequenda, ut patet ex primis ejus prophetiae capitibus, postea tamen alia revelaturus et per eum executurus, instar deliberantis et consilium quaerentis dixit: *Quem mittam, et quis ibit nobis?* Et cum Isaias ad se hoc obtulisset, dixit: *Vade, et dic populo huic* [2]). Quem locum Isaiae et alterum Pauli ex epistola ad Philemonem ponderans S. Ambrosius [3]): *Plurimum*, inquit, *refert, utrum ex voluntate quid facias, an ex necessitate, quod placeat Deo. Voluntarius minister habet praemium, coactus dispensat obsequium, sicut Apostolo dicente cognovimus: Si volens hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est.* Hoc est, ut explicat S. Chrysostomus: *Quae supra mandatum fiunt, multam vel inde mercedem habent, quae autem ex mandato, non tantam. Illud quidem praeceptum est et debitum, hoc autem liberae voluntatis opus alacriter susceptum, secundum illo amplius est* [4]). Hoc est plus factum est, quam fuit a praecipiente imperatum. Hoc ergo modo etiam S. Ignatius

[1]) Isaj. 6, 8. [2]) S. Ambr. in Ps. 118. Serm. 24 (M. P. L. 15, 1473). [4]) S. Chrysost. In I Cor. hom. 22. (M. P. Gr. 61, 182).

volens omnia in Societate suaviter et efficaciter instituí, nec sua nec divinae revelationis auctoritate socios ad praebendum assensum iis, quae ipse statuit, adducere voluit, sed praemissis cum iis multis deliberationibus, in quibus Dei consilia sibi revelata ab iis non mutatum iri sciebat. Nam et illos, etsi imperfectiore modo, dirigebat Deus in consiliis, ne a recto et aequo discederent.

Objicies octavo: Cum S. Ignatius teste Orlandino [1]) divinitus sciverit, se Fundatorem fore Societatis, non debuit his praemissa matura deliberatione, decretare Generalatum sibi a Sociis impositum: tum, quia procul dubio simul etiam divinitus cognovit, se eligendum in Generalem, tum quia resistendo in hoc divinae voluntati sibi a Deo indicatae peccasset, quemadmodum Moyses peccavit non acceptando legationem sibi a Deo immediate impositam [2]), uti sentiunt Augustinus, Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Dionysius, Cornelius, Salianus [3]). Cum ergo nefas sit dicere, S. Ignatium legitimae electioni a se antea divinitus praecognitae resistendo peccasse, (uti restitisse scribitur a P. Ribadeneyra et Orlandino [4]), videtur de his rebus non habuisse revelationem. *Respondeo,* me ne-

[1]) Orl. lib. I n. 66. [2]) Exod. 4. [3]) S. Aug. In Exod. qu. 10. Abul. qu. 6 in c. 4 Exod. Alii in Com. [4]) Rib. lib. III c. 1. Orland. lib. III n. 8.

scire, an Deus S. Ignatio revelaverit, eum in Generalem eligendum (quia nullus id scribit), sicut certum est, revelatum ei fuisse, eum fore Fundatorem Societatis. Nam Generalatus non est necessario conjunctus cum titulo Fundatoris. S. Franciscus enim erat sui Ordinis Fundator, tamen erat subjectus Fratri Eliae Generali et aliis Guardianis, uti et S. Romualdus, ut scribitur in eorum Vitis. Poterat ergo S. Ignatius divinitus scivisse, se fundatorem futurum, non scivisse autem hac via, se debere esse Generalem. Quanquam, etiamsi Deus illi revelasset, eum eligendum in Generalem, imo quod magis est, etiamsi scivisset a Deo, Deum velle, ut acceptaret Generalatum, potuit tamen sine ullo peccato tempore electionis binae sui in Generalem a Sociis factae, ad dandum sociis modestiae et humilitatis exemplum, aliquantisper illis refragari, et ut iterata a sociis electione tanto magis stabiliretur ejus regimen, quo saepius et importunius ei esset a Sociis impositum. Ac Ribadeneyra quidem et Orlandinus scribunt, hoc illum detrectasse humilitatis studio, sed et aliam ob causam jam commemoratam potuit hoc ipsum recusasse. Hanc enim ob causam Deus ad stabiliendum magis regimen populi bis per Moysen voluit promulgari Iosue ejus successorem et in politicis populi ducem [1]). Sic et Saulem,

[1]) Num. 27. Deut. 31, 23.

tunc valde bonum et Deo gratum, bis, diversis in locis ac diebus, publice coram aliis per Samuelem proclamari curavit, antea a se immediate electum. Similiter et S. Ieremias Propheta ex amore humilitatis et diffidentia sui se sine culpa excusavit Deo, cum ab eo immediate ad populum mitteretur [1]).

Porro quod ad Moysen, certum est, eum initio, dum legationem ad Pharaonem a Deo immediate sibi impositam semel ac iterum recusaret, non peccasse necdum offendisse, tum quia id asserunt graviores auctores, S. Gregorius, S. Basilius et S. Hieronymus, citati a Pererio et Bonfrerio [2]), tum quia ex ipso sacro contextu id aperte colligitur, in quo post quintam resistentiam Moysis (uti observarunt Cajetanus et Cornelius et ex ipso textu apparet) primum ei Deum iratum esse scribitur, non scribitur autem, prioribus tergiversationibus Moysen ad iram provocasse Deum. Initium enim detrectatae legationis, ut S. Gregorius ait, fuit laudabile, quia gloriam regiminis fugit. Quia tamen excessus etiam in materia virtutum vitio non caret, ideo diutius quam par erat resistendo Deo eum offendit. Sic jejunium et oratio bonae sunt res et Deo gratae, si tamen plus aequo protrahan-

[1]) I Reg. 9, 15–17. I Reg. 10, 24. 11, 15. Ierem. 1, 6. [2]) Perer. Disp. IV in cap. 4 Exod. Bonfrer. Comment. Exod. 4, 14.

tur. culpa non vacant et Deum offendunt. Cum ergo S. Ignatius semel atque iterum tantum modestiae et humilitatis causa, idque non proterve, recusarit Generalatum, non peccavit illum recusando, etiamsi antea ab ipso Deo didicisset, hanc esse Dei voluntatem, quia non fuit pertinax et excessivus in recusando Generalatu.

Quod etiam S. Ignatius via ordinaria per legitimam electionem a Sociis factus sit Praepositus Generalis, id non obstat, quo minus fuerit ad hoc munus a Deo immediate destinatus et se divinitus destinatum sciverit. Nam et Paulus Apostolus, *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Deum*, tamen canonice per impositionem manuum fuit in Apostolum electus ad praedicandum ubique gentibus evangelium [1]). Sis Iosue a Deo fuit immediate electus, ut post Moysis mortem populum regeret [2]), nihilominus non immediate est populo praefectus, sed per Moysen praesente populo et audiente [3]).

[1]) Gal. 1, 1. Act. Ap. 13, 2. [2]) Num. 27, 18. Deut. 3, 28. 31, 3. 7. 14. [3]) Num. 27, 22. Deut. 31, 7.

CAPUT V.

Explicantur supra dicta et confirmantur magis.

Quaeres primo, an Deus omnia simul S. Ignatio revelaverit, quae illi circa Institutum Societatis revelavit?

Respondeo: Non omnia simul Deum illi revelasse: quaedam enim ei revelavit Manresae primo anno suae conversionis, uti supra dictum est cap. I. Et ipse S. P. Ignatius hoc idem expresse dixit P. Ludovico Consalvo, et ab eo notatum est in Diario supra citato. Postea, dum S. Pater Constitutiones scriberet, alia ei revelavit Deus, ut ipsemet S. Pater post narratam dicto Patri Gonsalvo vitam suam dixit et in libello suorum luminum ac visionum a se scripto ostendit et legit eidem P. Gonsalvo, quae ipsemet P. Gonsalvus in Vita S. Ignatii a se scripta in fine narrat. Hoc autem nil derogat et excellentiae et certitudini revelationum S. Ignatii et praestantiae nostri Instituti, quia, ut ait B. Laurentius Iustinianus, *Dei Spiritus revelans etiam, quae humanae saluti congruunt, instruit non de omnibus omnes, neque cuncta simul* [1]. Id patet in Prophetis et in Apostolis. Nam et Instituta Legis Veteris Deus non omnia simul re-

[1] S. Laur. Iustin. Fascic. amor. c. 13.

velavit Moysi, ut patet ex quatuor ultimis libris ejus. Solum Leviticum diversis diebus dictatum ei a Deo patet [1]), et Decalogus datus est in monte Sina [2]), praecepta autem Levitici in tabernaculo recens fabricato data sunt [3]).

Nec Prophetis majoribus et minoribus omnes veritates simul patefecit, ut patet ex lectione librorum ab ipsis scriptorum. Et quod magis est, nec ipsam doctrinam evangelicam, quoad omnia dogmata fidei Christus per seipsum revelavit simul, sed quaedam post suam ascensionem Apostolis per Spiritum S. revelanda praedixit [4]), uti bene observavit S. Gregorius Nazianzenus [5]) et alii Patres. Hinc factum est, ut post resurrectionem Christi ignorarent, regnum Christi non fore temporale, sed spirituale et coeleste, uti notavit S. Iustinus Martyr in explicatione Quaestionum [6]). Imo, quod mirabilius est, ipse S. Petrus Apostolus, Christi Vicarius et Ecclesiae caput, etiam post acceptum jam Spiritum S. (Act. 10) adhuc ignorabat, Veterem Legem non secundum corticem litterae tunc esse servandam, sed secundum spiritualem significationem, uti observarunt Origenes et Didymus [7]). Ideo cum vidisset *vas quoddam submitti*

---

[1]) Lev. c. 8. 10. 19. [2]) Exod. c. 19. 20. [3]) Lev. 1. [4]) Ev. S. Joan. 16, 12. [5]) S. Greg. Naz. or. 5. [6]) S. Iust. M. Resp. 112. [7]) Orig. Cont. Cels. lib. II. Did. de Spir. S. lib. II. [8]) Act. Ap. X, 11, sequ.

de caelo in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terrae, et volatilia caeli, facta est vox ad eum: Surge Petre, occide et manduca. Ait Petrus: Absit Domine, quia nunquam manducavi commune et immundum. Meminerat enim, vetitam esse animantium immundarum manducationem [1]). Assueverat enim Christo praesente cum aliis Apostolis Judaice vivere, ut scribit S. Cyrillus.

Quocirca hinc potius certitudo et auctoritas revelationum S. Ignatii ac nostri Instituti magis cognosci potest, quod Deus eo modo processerit cum S. Ignatio, non revelando ei simul omnia, quaemadmodum processit cum Moyse, Prophetis et Apostolis, fundando et instituendo Novam et Veterem Legem, et revelando Ecclesiae suae non simul, sed successive dogmata fidei et morum ac caeremoniarum ad cultum Dei spectantium, imo ipsorum sacramentorum, quae non simul instituit ac revelavit, quamvis omnibus fidelibus sint magis necessaria ad salutem quam Institutum Societatis.

Quin etiam, ut scribit S. Dionysius, dum superioris hierarchiae Angeli illuminant inferiores, non simul omnia, sed per partes infundunt illustrationes superioribus divinitus primum infusas, quas ait primum extitisse in superioribus hierarchiis [2]). Quod adhuc clarius dixerat cap. 7,

---

[1]) Lev. 11. Deut. 14. [2]) S. Dion. Ar. Coel. hierar. c. 11.

idque ex Scriptura probat ex Isaia (c. 63). Ita etiam asserit S. Thomas, docens, eosdem Angelos, quibus Deus aliqua revelavit, *quaedam a principio suae creationis cognovisse, quaedam vero postmodum, secundum quod eorum officiis congruit edoceri.* Idem fecit et cum S. Ignatio eandem ob causam.

Quaeres secundo, cur S. Ignatius, deliberaturus cum Sociis et deliberans de Instituto Societatis Romae, non manifestavit Sociis suis, quas de illo habuit revelationes, sed multo post?

Respondeo, id eum fecisse quatuor ob causas. *Primo,* ob humilitatem et modestiam, quae sine necessitate non permittit talia dona aliis manifestare. *Secundo,* quia non erat necessitas auctoritate revelationum suarum socios adducendi ad statuenda ea, quae certo sciebat statutum iri per ordinaria media maturarum deliberationum et consiliorum. Sciebat enim Dei morem, qui res a se occulte statutas solet ad effectum perducere, etiamsi desint humana media, imo quamvis obsistant multa humana impedimenta, uti patet in progressu et incrementis hierarchiae ecclesiasticae tum tempore Veteris Legis, tum tempore Christi et Apostolorum, tum succedentibus saeculis. *Tertio,* voluit hac in re imitari Apostolos; qui, uti capite

---

[1]) S. Thom. I qu. 106 a. 4 ad 3. II 2. qu. 2. a 1. Et I qu. 57 a 5 c. et ad 1.

praecedenti vidimus, fundantes post Christi ascensionem novam ejus Ecclesiam, non obtrudendo suas revelationes, sed cum aliis consultando et deliberando statuerunt, quae essent facienda. *Quarto*, quia voluit S. Ignatius juxta divinae et humanae prudentiae dictamina fundare Societatem quam facillime et quam solidissime poterat. Cum autem experientia omnium saeculorum doceat, facilius recipi leges multorum consilio adhibito institutas, et retineri ac servari firmius, ideoque ipsi Romani Pontifices, etsi per se pro tota Ecclesia, et episcopi pro tota Dioecesi possint multa instituere, nolunt tamen sine praemissis consultationibus et deliberationibus privatis, et quandoque nonnisi per Concilia Generalia et Provincialia et Dioecesana multa statuere; ita et S. P. Ignatius, uti admiranda prudentia praeditus, secutus est morem aliorum Superiorum Ecclesiae et Sanctorum, ut facilius reciperentur ab omnibus et servarentur leges et statuta, non suo tantum, sed etiam aliorum Patrum, sanctitate, doctrina et experientia insignium judicio constituta.

Hoc Spiritu ductus S. Samuel Propheta, etsi Deo revelante sciret, sibi in regimine populi successurum Saulem, eumque jussus esset a Deo *ungere tanquam ducem futurum populi Israel* [1]), et die sequenti illum unxisset hoc fine, et finem

[1]) I Reg. 9, 16.

unctionis Sauli patefecisset [1]), tamen postea, cum populus urgeret novi regis inaugurationem, S. Samuel, quamvis haberet ex divina revelatione regem nominatum et jam a se jussu Dei unctum in regem, nihilominus occultata hac revelatione, ac si nihil prorsus sciret, processit humano more ac suavi, jussitque, ut ipsi per sortes coram Domino in Maspha jactas regem, quem petebant, eligerent. Et ita fecerunt. Nam jactis sortibus nominatus est Saul et acclamatus rex [2]); et quamvis publico applausu populi tanquam rex susceptus esset, postea tamen iterum ejus electio in regem renovata et quasi confirmata est publice in Galgala [3]). Verumtamen nec tunc, nec alias S. Samuel ullam mentionem fecit factae sibi de Saulis regimine revelationis. Quin et ipse Saul, sciens mentem S. Samuelis de hac re occultanda ne patruo quidem suo sciscitanti, quid ei Samuel dixisset, hanc rem manifestavit [4]). Causam bonam hujus silentii adfert Iosephus: *ne ea res vel credita invidiam, vel non credita vanitatis opinionem ei contraheret* [5]). Et haec ipsa causa erat sufficiens, ut in hoc puncto S. Ignatius non patefaceret Sociis, quae divinitus cognoverat. Quamvis enim amaretur et magni fieret a Sociis, tamen, quia sciebat, verum esse, quod scribit S. Ambrosius, *prona quadam*

[1]) I Reg. 10, 1. 19. [2]) I Reg. 10, 24. [3]) I Reg. 11, 15. [4]) I Reg. 10, 16. [5]) Fl. Ios. Antiqu. Iud. lib. VI c. 5.

cupiditate peccandi humanae carnis et mentis fragilitatem inextricabilibus vitiis implicari [1]), et memor erat, quam male accepta fuerint a fratribus et a patre immissa divinitus Iosepho somnia, etsi ab eo sat modeste relata [2]), prudenter occultavit coelestes notitias, *tutius ac consultius arbitratus silentium* (uti loco citato scribit Fl. Iosephus de electione Saulis), *reputans humanae naturae infirmitatem, quod nemo constans in amore, sed etiamsi manifesto divino suffragio felicitas contingat, tamen alios sibi praeferri inique et invide ferat.*

Quaeres tertio: Cum supra dictum sit cap. III, Institutum Societatis esse S. Ignatio revelatum et confirmatum non per Angelos, uti SS. Pachomio et Posthumio, sed per SS. Trinitatis personas, merito dubitari posse videtur, an hoc sit ad litteram, ut verba sonant, intelligendum, an vero, quod id Deus revelaverit ministerio Angelorum, quandoquidem et Sancti Patres et praestantes Theologi, inter quos Suarez et Vasquez, docent, omnes apparitiones, quae Deo adscribuntur in Lege Veteri, factas esse non immediate per Deum, sed per Angelos in assumptis ad tempus corporibus apparentes.

Respondeo, certissimum esse, aliquas apparitiones in Lege Veteri Deo adscriptas factas

---

[1]) S. Ambros. Expos. in Luc. lib. II n. 56. (M. P. L. 15, 16. 54). [2]) Gen. 37, 10. 19.

esse non immediate per Deum, sed Angelorum ministerio in persona Dei temporarie assumpta apparentium, quia Sacra Scriptura hoc manifeste docet. Nam is, qui luctatus est cum Iacob Patriarcha, quamvis appelletur Deus, et quamvis ipse Iacob, qui cum eo luctatus est, dixerit: *Vidi Deum facie ad faciem* [1]), tamen apud Oseam iste luctator appellatur *Angelus* [2]); sic etiam is, qui apparuit Moysi in flamma ignis de medio Rubi (Exod. 3, 2) appellatur *Dominus*, uti et is, qui apparuit tunc ei, vocat se (vers. 4) Deum Patris ejus et Deum Abraham, Isaac et Iacob (vers. 6), ac tamen S. Stephanus appellat eum *Angelum* [3]). Similiter is, qui (Exod. 20) Moysi dedit legem, hoc est praecepta Decalogi, ab eodem S. Stephano vocatur *Angelus*, imo non unus, sed plures [4]), quam pluralitatem Angelorum, per quam Moysi lex est tradita, confirmat etiam Apostolus; atque ita, nisi didicissemus ex posterioribus locis Scripturae, illum, qui aparuit Iacob Patriarchae et Moysi, fuisse Angelum [5]), non haberemus ullum sufficiens argumentum ad credendum, illas apparitiones non fuisse factas immediate per Deum, sed ministerio Angelorum. Cum autem in apparitionibus S. Ignatii nullam, ne minimam quidem, conjecturam legamus in libris et scriptis ejus gesta et Dei dona conti-

---

[1]) Gen. 32, 28. 30. [2]) Osee 12, 4. [3]) Act. Ap. 7. 38. [4]) Ib. 63. [5]) Gal. 3, 19. Hebr. 2, 2.

nentibus, quae vel ad speciem innuant ab Angelis eum didicisse res nostri Instituti, et ex altera parte ipse, qui erat summe circumspectus in loquendo et scribendo, praesertim de suis rebus, manifeste scriptum reliquerit et oretenus dixerit, res Instituti Societatis sibi a divinis personis esse revelatas et confirmatas, atque hoc ita intellexerint ejus familiares et intimi, et illi, quibus hoc ipse narravit, certo credendum est, non ministerio Angelorum, sed immediate per ipsum Deum revelatas esse illi res Instituti nostri.

Quaeres quarto: Cum majus fuerit mysterium Incarnationis Verbi quam substantialia Societatis, et tamen scianus ex Evangelio, ministerio angelico hoc revelatum fuisse B. V. Mariae, non per ipsum Deum immediate, multo magis credendum est, non immediate per Deum ipsum revelatas esse S. Ignatio res Instituti Societatis, sed per Angelum unum vel plures; alioquin quoad revelationis modum praestantius esset Institutum Societatis quam Incarnationis mysterium per Angelum revelatum, quod esset magnum absurdum.

Respondeo, falsum esse solo ministerio angelico revelatum esse B. Virgini mysterium Incarnationis, quia, ut bene probat Suarez [1]), B. Virgini in prima ejus sanctificatione, adhuc ante

[1]) Suar. In III p. S. Thom. disp. sect. 2.

ejus Nativitatem, fuerunt omnes virtutes infusae et fides ac explicita et distincta cognitio praecipuorum fidei mysteriorum, nimirum SS. Trinitatis et Verbi Incarnationis, saltem quoad substantiam eorum, etsi non quoad omnes circumstantias, quae infusio virtutum cum a solo Deo fiat et fieri non possit ab Angelis, non didicit ab eis mysterium Incarnationis, sed immediate ab ipso Deo, imo, ut paulo ante vidimus, nec ipsi Angeli sciebant perfecte omnia ad Christi Incarnationem spectantia, ne ipse quidem Gabriel, ut ait bene S. Bernardus [1]). Tantum ergo a Gabriele didicit, quod esset futura Mater Verbi Incarnandi opera S. Spiritus, non humana, cum antea sciret, idque ex immediata revelatione Dei et ex lectione Scripturarum, Verbum incarnatum iri in Virgine. Cum autem haec circumstantia B. Virgini potuerit repraesentari per naturales species phantasmatum virtute angelica, ideo per Angelum haec circumstantia ejus personae revelata fuit, non tamen totaliter quoad omnia. Nam post legationem Gabrielis per verba sensibilia B. Virgini expositam et auditu ab ea perceptam formatae sunt virtute naturali species in ejus phantasia legationem repraesentantes, per quas imaginationis species repraesentatas intellectui agenti B. Virginis ab hoc in intellectu possibili naturaliter

[1]) S. Bern. Epist. 77.

coordinatae sunt species intelligibiles, repraesentantes quandam hominis conceptionem et nativitatem non ordinario modo subsecuturam, et tunc immediata divina virtute per lumen supernaturale infusum (quod Angelus creare non potest) elevatus est intellectus possibilis Mariae et adjutus, ut perfectissime (quantum per fidei cognitionem fieri poterat) per actum vitalem cognitionis ab ea productum plene cognosceret totum Incarnationis mysterium, et modum, quo a Spiritu S. immediate, sine viri opera, per eam perficiendum erat, eique assentiretur. Atque ita ante Christum a se conceptum habuit intellectualem revelationem a solo Deo de Incarnationis mysterio, non vero ab Angelo, cujus ministerio tantum verba ab eo prolata per B. Virginis auditum percepta sunt, et phantasmata repraesentantia illa verba certo modo mota seu disposita sunt, eo prorsus modo (quoad entitatem suam), quo per motum localem, sive spirituum animalium, sive humorum, sive fluidarum partium cerebri, solent in nobis moveri, quando ab Angelis illuminamur. Ideo autem voluit adhibere Deus in hoc negotio ministerium Angeli, tum, ut legatio de reparatione ruinae angelicae et humanae, a primo homine per Angelum malum in magnas calamitates detrusae, cum majori solemnitate fieret, et perficeretur per bonum Angelum in forma humana (ut docent SS. Patres) apparentem, tum, ut imaginatio Virginis

per sensibilia verba dicta a bono Angelo adjuvaretur faciliusque posset cooperari ad intellectualem conceptionem et apprehensionem mysterii Incarnationis, quod licet auribus Virginis annuntiatum sit ab Angelo, tamen intellectui Virginis non per Angelum, sed per solum Deum est revelatum juxta doctrinam S. Thomae, quia supernaturali lumine indito a solo Deo et immediate intellectui B. Virginis repraesentatum et ab ea creditum habitu fidei, antea ei a solo Deo infuso, et per liberum consensum ad futuram maternitatem ab ea acceptatum [1]). Qui actus intellectualis fidei et liberi consensus voluntatis a solo Deo (uti et nobis contingit), a nullo autem Angelo immediate dependebant, ac ad quos Deus solus concurrit et tanquam causa prima universalis et auctor naturae, concurrens ad omnes actus vitales intellectus et voluntatis, et tanquam auctor gratiae, producens in intellectu Virginis supernaturalem illuminationem, per quam complevit vim naturalem intellectus ejus et intellectum elevavit, tum ad cognoscendum plane hoc mysterium, tum ad ei assentiendum, et movit auxilio actuali gratiae efficacis ejus voluntatem, illa illuminatione excitatam et adjutam, ad liberum consensum circa maternitatem, sibi ab Angelo annunciatam. Qua de re videri potest Suarez, nec ab ullo bono Theologo

[1]) S. Thom. III qu. 30 a 3 ad 1.

id negari potest [1]. Hinc apparet, non esse praestantiori modo revelatum S. Ignatio Societatis Institutum quam fuerit revelatum B. Virgini Incarnationis mysterium, tum, quia et illi non ab Angelo, sed a Deo solo immediate revelatum fuit, eo modo quo dixi supra: tum, quia immediata revelatio Incarnationis fuit ob majestatem tanti mysterii per altissimum intellectualis revelationis gradum facta in Virgine; tum, quia cum majori solemnitate haec revelatio et legatio ac annuntiatio Incarnationis fuit perfecta, adhibito nimirum ministerio angelico, tum extrinseco, dum visibiliter allocutus est Virginem, tum intrinseco, dum movit phantasmata Virginis in ejus imaginatione repraesentantia verbis propositam Dei legationem. Quae omnia S. Ignatio contigisse non scimus, scimus autem ex theologica doctrina S. Augustini et S. Thomae [2], perfectiorem esse revelationem, quae fit non tantum per intellectum, sed etiam simul per imaginationem, caeteris paribus non universaliter et sine limitatione, ut infra cum Sancto Thoma dicam.

Quaeres quinto: Cum in Veteri Lege et in Nova omnes apparitiones divinarum personarum factae dicantur Angelorum ministerio a gravibus

[1]) Suar. In III p. S. Thom. disp. 9. sect. 2. [2]) S. Aug. De Genes. lib. XII c. 9. S. Thom. II 2. qu. 174 a. 2 ad 1.

Theologis, Suario, Vasquez, et aliis, qui hoc confirmant. testimonio SS. Patrum et antiquorum theologorum, nimis praesumptuose et sine fundamento videtur asseri, non per Angelos, sed per ipsas divinas personas S. Ignatio fuisse revelatas res nostri Instituti.

Respondeo primo: Etsi nunc communior sententia sit recentiorum, Deum in Lege Veteri et Nova non per se, sed per Angelos in Assumpta forma corporea vel alio signo sensibili varia Prophetis revelasse, tamen contrarium docent etiam, teste Vasquez dissentiente, Eusebius, Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius. Quibus addendi sunt etiam alii, a Vasquez non citati, S. Clemens, S. Iraeneus, Origenes, Tertullianus, S. Iustinus Martyr, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Basilius, S. Cyprianus, S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Athanasius, S. Augustinus, S. Chrysostomus, Concilium Smyrnense sub Iulio (apud Nicephorum et Socratem), Sozomenus. Quibus accedit Rupertus, Salvianus, S. Hieronymus, S. Gregorius M., S. Bernardus, B. Laurentius Iustinianus, Turrecremata (in Prologo Revel. S. Brigittae), Delrius, Eugubinus et Oleaster, Franciscus Picus, Thyraeus, Clitovaeus [1]). Quocirca non est certum

[1]) Eus. l. 1 dem. Ev. c. 5 et l. 5 c. 10 et l. 1 hist. c. 2. S. Chrys. h. 16 in Acta et in c. 3 ad Gal. Theophyl. in c. 7 Act. Oecum. in c. 3 Gal. (S. Clem.) Const.

omnino, quod initio Quaesiti asseritur. fere enim semper talia dicta generalia habent suas exceptiones. Saltem apparitio, quam Iacob habuit, Gen. 18. 12. cum vidit Angelos in scala et Dominum scalae innixum, indicat, Deum, ut diversus est ab Angelis, apparuisse Iacob. Et Daniel 7. 9. 10. et Isaias 6, 1. 2. non possunt de Angelis intelligi, sed de Deo. ut est quid diversum ab Angelis, qui tunc cum eo visi fuerunt. Sic Dominus Exod. 52. 33. 34. alloquitur Moysen,

Ap. l. VIII c. 52. S. Iren. l. 4 c. 37. Origen. in c. 38. Iob. et in c. 42, in c. 1 Isaj. Tertull. l. de carne Christi c. 6 et 1. Contr. Mart. l. I c. 27 et l. III c. 9 et 10 et contr. Prax. l. IV c. 14 et contr. Iud. l. V c. 9. S. Iustin. in dial. cum Tryph. et in Apol. 2 paulo ant. fin. S. Cyr. Hier. cat. 14. S. Greg. Naz. de fide. Basil. contra Eun. l. V. S. Cyprian. ep. 2 ad Quirin. c. 5. S. Hil. de Tri. l. IV et V. S. Amb. in c. 1. Luc. et L. de Spir. S. c. 23 et L. de his qui init. c. 4. S. Athan. l. de com. essent. Pat. Fil. et Sp. S. et l. de Incarn. Chr. S. Aug. ep. 112 c. 6 et s. 117 de temp. et Civ. Dei l. 16 c. 6 et cont. Ademant. c. 9 et ad catech. c. 15 et de S. Trin. l. II c. 10, 14, 18. S. Chrys. h. 7 ad pop. Niceph. Hist l. 9 c. 3 et l. 1 c. 2 et 3 et Socr. l. 1 c. 39. Soz. l. 4 c. 6. Rup. de Verb. l. 6 c. 21. Salvi. de gub. l. 1. S. Hier. praef. in Is. et in c. 6 Is. S. Gr. M. l. 18 mor. c. 3. S. Bern. in Cant. s. 31. S. Laur. Iust. de vita sol. c. 16 et 1 de obed. c. 11. Turrec. in prologo Rev. S. Brigit. c. 4. Delr. to. 2 disq. Magic. l. 4 c. 1. qu. 1 lit. E. Eugub. et Oliast. in c. 1. Gen. Franc. Picus de praenotion. l. 2 c. 3. Thyr. de Apparit. l. 4. c. 2 n. 4 et c. 6 n. 6 et l. 1 c. 23. Clitovaeus in l. 4 c. 16. S. Ioan. Damasc. de fide.

promittens ei, Angelum a se mittendum eos praecessurum. Et hoc clare indicat modus perfectior, quo interdum Moyses vidit Deum, non vero sic alii Prophetae: Num. 12, 6. 7. 8. Et Michaeas Propheta ait (3. Reg. 22, 19): *Vidi Dominum super solium suum, et omnem exercitum coeli assistentem ei.* Ergo is, qui sedit super solium suum, non erat Angelus, *si omnis exercitus coeli*, ex omnibus Angelis conflatus, ei assistebat. Falsum ergo est, Deum semper in Veteri Lege per Angelos apparuisse, nam et per se, ut vidimus, apparuit saepe.

Respondeo secundo: Revelationes S. Ignatio factas, de quibus hic disputo, esse diversum quid ab apparitionibus per Angelos factis supra commemoratis; hae enim extrinsecae erant et fiebant per res corporeas sensibus perceptibiles, virtute naturali formatas ab Angelis, per quas extra corpora personarum ab iis illuminatarum proponebant varias doctrinas hominibus, missi a Deo. Nos autem hic disputamus de internis revelationibus intellectui S. Ignatii repraesentatis, non de revelationibus factis extrinsece, ad agnoscendas res nostri Instituti, quia nullum indicium habemus, quidquam ei esse de rebus Instituti revelatum per extrinsecas angelorum apparitiones. Quocirca, etsi certissimum esset, omnes apparitiones extrinsecas Dei in Lege Veteri et Nova factas fuisse ministerio Angelorum, nihil obesset nostrae assertioni, qui loquimur

de internis revelationibus S. Ignatio factis, per locutiones internas Dei ad illum. Tales autem internas locutiones et revelationes semper esse factas Angelorum ministerio, falsissimum est, has ob causas:

Primo, quia Deus revelavit Adae, idque distincte et explicite, mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, uti docent post SS. Patres citatos a Suario S. Thomas et Clarius [1]), quod quidem factum est per lumen propheticum seu habitum fidei a Deo immediate infusum, quod certum est Angelos producere non posse in humano intellectu. Vide Vasquez et Abulensem [2]).

Secundo, quia et Moysi et Davidi Deus multa revelavit de Christi Incarnatione et Passione et de aliis rebus *per revelationem supernaturalis et intelligibilis veritatis in visione intellectuali, sine imaginaria visione*, ut docet S. Thomas. Angeli autem non revelant divina mysteria nisi per motum phantasmatum, quae sunt essentialia in visione imaginaria, ut docet S. Thomas, et ibi commentatores cum Vasquez. Atque ita Davidi immediate, non per Angelos, revelata esse mysteria nostrae fidei, docet Cassiodorus, Adrianus Papa I, Lyranus, Matthias Thoringus, Lorinus.

Tertio, quia etiam Salomon sapientiam et cognitionem certam multarum humanarum et di-

[1]) Suar. In I p. S. Thom. d. 11. sect. 12. S. Thom. III qu. 1 a 3 ad 5 et II 2 qu. 3 a 7. [2]) Vasqu. in I p. S. Thom. d. 215 c. 1. Abul. qu. 355 in c. 12 Gen.

vinarum rerum ab ipso Deo immediate infusam accepit, idque sine ministerio Angelorum. Quia, ut docet S. Thomas [1]), accepit eam per species divinitus infusas, non per sensum acquisitas, circa quas solas Angeli habent naturalem potestatem illuminandi homines, ut docent Theologi cum S. Thoma loco paulo ante citato, et cap. sequenti videbimus, Angelos id ne per supernaturalem quidem virtutem posse praestare.

Quarto, quia etiam Apostoli non per Angelos, sed ab ipso Deo immediate multa mysteria fidei cognoverunt, per lumen immediate impressum, quod ab Angelis produci non potest, uti nec species intelligibiles; ut docet S. Thomas et consentiunt Theologi recentiores, ut Vasquez et Abulensis, quem citat et sequitur et exemplis S. Scripturae confirmat noster P. Petrus Thyraeus. Unde Apostolus ait: *Angelis per Ecclesiam innotuisse multiformem sapientiam Dei* [2]): hoc est, clarius quoad quasdam circumstantias antea illis ignotas innotuisse mysteria fidei, quoad substantiam antea illis divinitus revelata, ut docet S. Bernardus [3]), et Dionysius, et eum citans S. Thomas [4]), ubi [5]) ex S. Cyrillo

---

[1]) S. Thom. II 2 qu. 173 a. 2 I 2 qu. 113 a. 3 ad 2. [2]) Ep. ad Eph. 3, 10. [3]) S. Bern. ep. 77. S. Dionys. Ar. De coel. hier. c. 7. [4]) II 2 q. 174 a 2 in corp. Et a. 4 ad 1 1 q. 111 a. 3. Vasq. d. 218 c. 4. Suar. l. 6 de Ang. c. 16. Cass. praef. in Psalm. c. 1. Adr. ad Carol. Mag. Lyr. praef. in Psal. Thor. in Repl. cont. Paulum

docet, Angelos a Paulo praedicante didicisse circumstantias evangelii et vocationis gentium. Quam ob causam S. Chrysostomus appellat S. Paulum *Angelorum Evangelistam*, quia eos circa quaedam mysteria illuminavit, et Orat. in SS. Petrum et Paulum: *Coelestium*, inquit, *agmina collaudant humanis vocibus Apostolorum Petri et Pauli doctrinam, quippe quorum opera dispensationis sibi mysterium innotuit; quemadmodum sua voce personat Paulus, ut innotescat nunc Principatibus et Potestatibus in Coelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Quod ipsum de S. Joanne Baptista docent Sancti cum Suario [1]). Quocirca falsissimum est, Deum omnia in Veteri et Nova Lege per Angelos ea revelasse, quae servis suis revelavit. Atque ita non sequitur, Deum Angelorum ministerio revelasse S. Ignatio res Instituti Societatis, quamvis quaedam per extrinsecas apparitiones angelicas revelaverit servis suis in Veteri et Nova Lege.

Burgens. Lor. t. 1 praef. in Psal. c. 3 S. Thom. I p. q. 111 a 3 ad 2. Et 2 2 q. 173 a. 2. Vasq. I p. d. 2 11 c. 5. Abul. q. 2 in c. 9 l. 3. Reg. et to. 1 in Exod. q. 2 super cap. 11. Thyr. l. 4 de Appar. c. 2 toto et c. 6 n. 8 et c. 12. [5]) I qu. 57 a 5 ad 1. Opusc. I c. 26.

[1]) S. Chrysost. hom. in cap. 3 Ephes. Suar. In III p. S. Thom. d. 4 s. 7 disp. 24 sect. 3.

CAPUT VI.

Explicatur modus, quo Deus immediate per se, non per Angelos, revelavit S. Ignatio res nostri Instituti.

Ut appareat, quam ob causam existimem, res nostri Instituti non ministerio angelico, sed immediate ab ipso Deo esse revelatas S. Ignatio, tria prius declaranda sunt.

Primo, quomodo Deus hominibus sua arcana per Angelos revelet.

Secundo, quomodo Deus immediate soleat per se solum, sine Angelorum ministerio servis suis sua revelare secreta.

Tertio, quibus indiciis agnosci possit, Deum non per Angelos, sed per se immediate S. Ignatio revelasse res nostri Instituti.

Quoad primum, tribus modis per Angelos Deus revelat res hominibus.

Primo, extrinsece, per objecta sensuum extrinseca, formata per motum localem Angelorum, scilicet, dum apparent informatis ex aëre corporibus, uti apparuerunt Moysi, Abrahamo, Adamo, Tobiae et aliis, vel dum in specie columbae super Christum baptizatum, vel dum per manum scribentem, uti Balthasari, aut vocem sonoram, uti audita est super Christum baptizatum a Ioanne, panduntque arcana divina.

Secundo, revelant arcana intrinsece, idque duobus modis.

Primus modus est, dum, movendo solas species imaginationis seu phantasmata, plene repraesentant imaginationi seu phantasiae aliquid, quod Deus vult apprehendi a nostra imaginatione et per imaginationem proponi nostro intellectui cognoscendum per actum intellectus, qui illa imaginatione objecti repraesentati determinatur ad illud cognoscendum. Et hoc modo ordinarie nos boni Angeli illuminant et mali tentant permittente Deo.

Secundus modus intrinsecus est, quando per objecta extrinseca sensibus repraesentata, non sufficienter tamen rem cognoscendam repraesentantia, movent simul phantasmata relicta antea ab objectis sensibilibus et illorum certa coordinatione ac dispositione plene repraesentant totum id, quod per sola objecta extrinseca non sufficienter fuit repraesentatum et apprehesum ab imaginatione, intellectui repraesentandum. Hoc modo Prophetis et Ioanni in Apocalypsi multa Angeli revelarunt, quae per objecta extrinseca sensibus percepta, quid significarent, non intelligebant, sed intellexerunt per intrinsecam phantasmatum motionem, quam causant Angeli movendo sive spiritus animales, sive humores, sive partes fluidas cerebri, in quibus tanquam in subjecto sunt phasmata, juxta varias opiniones Philosophorum et Theologorum,

qui videri possunt apud Vasquez, S. Thomam, S. Augustinum pluribus in locis [1]).

Loquor hic de illuminatione causari solita a bonis Angelis. Nam daemones solent etiam quarto modo repraesentare hominibus objecta in tentationibus et illusionibus, quas causant perturbando ipsum organum sensus alicujus, visus v. g. vel auditus, applicando causas agentes, per quas alterantur sensus nostri, eo modo, quo phrenetici putant se videre vel audire aliqua quasi extra se existentia, quae vere non existunt, sed per sensuum alterationem eis repraesentantur, ac si existerent. Qui modus cum quaedam deceptio sit, non adhibetur a Deo, dum per Angelos bonos aliquid extrinsece patefacit. Caeterum cum Angeli erga creaturas nil possint agere nisi per motum localem, movendo illas de loco in locum et motu locali applicando activa passivis, et per illa, non per se, aliquid alterando vel producendo, ut docent communiter Theologi, S. Thomas Vasquez et alii [2]) hinc, fit, ut non tantum substantiam nullam producere per se possint, sed nec ullam qualitatem

[1]) Vasqu. In I p. S. Thom. disp. 218 c. 4. Suar. De Angel. lib. VI. c. 16. S. Thom. I qu. 111 a 3 et 4 et II 2 qu. 173 a 2. De ver. q. 11 a 3 et qu. 16 a 11. S. Aug. De Gen. ad litt. l. XII c. 12 20. [2]) S. Thom. I q. 111 a. 3. S. Bonav. 1 d. 48 1 p. a. 2 qu. 2. Vasqu. disp. 216 c. 53 et disp. 211 c. 5. Ferr. Sum. contra gent. lib. III c. 303.

primam aut secundam aliamve formam accidentalem, uti est lux vel species aliqua sensibilis aut fons, nisi applicando corpus luminosum aut sensibile objectum, quidquid dixerit Avicenna, refutatus a S. Thoma, Tanner, Ricardo, Ferrariensi, Durando, Argentina et aliis Theologis, ac Vasquez [1]. Item non possunt interna phantasmata per se efficere, quae sunt perfectiora externis speciebus sensuum, ut post alios bene docet Suarez, Conimbricenses, Vincentius Regius. Unde non potest daemon caeco a nativitate imprimere speciem coloris vel lucis, quam nunquam vidit, sed tantum species imaginationis ab objectis sensibilibus per sensus perceptis causatas potest hoc vel ille modo motu locali movere et sic res varias repraesentare imaginationi, eo modo, quo, ut ait S. Thomas, *ex diversa ordinatione earundem litterarum accipiantur diversi intellectus* [2]).

Quoad secundum in primis supponendum est tanquam certum, revelationes rerum sciendarum et faciendarum aliquando immediate per solum Deum hominibus communicari sine cooperatione phantasmatum, nec mere intellectualiter, uti docet praeter alios Theologos Ludovicus de Ponte, Ribera, Vincentius Regius, secuti S. Thomam,

---

[1]) Vasqu. in S. Thom. I d. 218 c. 3. Suar. De Angel. lib. VI c. 16 n. 8. Conimbr. de somniis c. 4. Vinc. Reg. Elucid. Evang. lib. I c. 12. [2]) S. Thom. II 2 qu. 173 a. 2.

qui testimonio Apostoli desumpto ex I Corinth. 2. probans, a Deo quaedam mysteria gratiae immediate esse revelata Angelis et adhuc revelari, docet, ita illis esse revelata, sicut nobis quaedam revelavit Deus per Spiritum suum. Loquitur autem de revelatione, quae fit Angelis supremae hierarchiae, qui Angelos inferiores illuminant, ipsi vero immediate ab ipso Deo illuminantur. Idem probant alii S. Thomae loci supra cap. V. allati in responsione secunda ad quaesitum quartum de revelationibus immediate a Deo factis Adamo, Moysi, Davidi, Salomoni et Apostolis. Pro qua re citantur et SS. Patres S. Clemens, S. Leo. S. Cyrillus Alexandrinus in verba illa: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* dicit, eo modo non illuminari alios ab Angelis, sed exterius, ut bene ponderat ejus locum Vasquez. Idem docet S. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Augustinus, B. Laurentius Justinianus, praeter alios Patres et auctores citatos supra c. V. in Resp. 1. ad Quaesitum quartum et infra citandos. (§. *Octava causa* [1]). Et expresse tales quoque revelationes ha-

[1]) Lud. de Pont. Dux Spir. tr. 1 c. 22 §. 3 modus. et c. 22 §. Quare daemon. Ribera. in c. 2. Ioel. v. 29. Regius loc. supra citat. num. 12. S. Th. II 2 q. 174 a. 2 et 3 et I q. 57 a. 5 (S. Clem.) Const. Apost. lib. V. c. 21 et l. VII c. 34. S. Leo ep. 13 ad Pulc. S. Cyril. Alex. In Ioann. lib. I c. 9. Vasqu. in 1 p. S. Thom. d. 216 c. 5 n. 24. S. Chrys. h. 3 in Acta S. Amb. in c. 1

buisse S. Gertrudem, sine imaginariis similitudinibus ministerio Angelorum factis, asseritur l. IV. c. 26. Insinuat. divinae pietatis ab ipso Christo Domino approbato, ut ibidem dicitur libr. V. cap. 35 et 36. Et hoc videtur clare colligi ex lib. Num. 12, 6. 7. 8, ubi dicuntur prophetae alii soliti videre Deum *per aenigmata et figuras* (quae sunt imaginationis propriae), Moyses vero *ore ad os ut palam*, seu ut in Exodo dicitur (33. 11.): *Facie ad faciem.* Ob quem modum S. Bernardus dicit: *Moysem vidisse Deum modo plane praecellenti atque inexperto caeteris Prophetis, sibi noto et Deo.* Prophetae autem ut plurimum videbant Deum per imaginarias visiones ac figuras. Et serm. 69 in Cantic. ait, *infuso lumine desuper revelari mysteria.* Idem aliis verbis dicit serm. 45. in Cant.

Secundo supponendum est, ex certa theologiae doctrina, (uti reliqua supposita, quae paulo post adferam) revelationes propheticas passive sumptas nil aliud esse quam cognitiones intellectus supernaturales causatas divinitus modo supernaturali, excedente vim naturalem intellectus; ideoque appellantur gratiae gratis datae, a Deo tunc illuminante homines tanquam auctore gratiae.

Col. S. Amb. in c. 1 Col. S. Aug. De Civ. Dei lib. XVI c. 6 et conc. 18 in Psal. 118. S. Iustin. de humil. c. 6 et de discipl. et perf. mon. conv. c. 5 [1]) S. Bern. In Cant. serm. 33 (M. P. L. 173, 954).

Tertio supponendum est, ad omnem cognitionem intellectualem objecti extra visionem beatificam, et in hac vita et in altera in animabus separatis a corpore, necessarias esse species intelligibiles repraesentantes objectum, easque esse incorporeas et immateriales et mere spirituales, uti et ipse intellectus, cui subjective inhaerent tanquam qualitates quaedam intentionales, uti appellantur a Philosophis et Theologis.

Quarto supponenda est doctrina recepta communiter ab omnibus, praesertim a S. Thoma, quam tradidit S. Dionysius Areopagita, loquens de visionibus propheticis, *quod sapiens Theologus visionem illam dicit esse divinam, quae fit per similitudinem rerum forma corporali carentium* [1]).

Quinto supponendum est cum communi doctrina Scholasticorum, non posse animam hominis ab Angelo immutari, nisi solum media imaginatione, sed nec imaginationem ipsam posse ab eo immutari impressione alicujus qualitatis, sed solum applicatione alicujus agentis extrinsece, vel per motum localem humorum corporis aut specierum materialium phantasiae, ut cum aliis bene docent Vasquez et Suarez loco citato, et alii communiter, et ut loquitur S. Bernardus: *Angelus non absque motu operatur, tam locali, quam temporali* [2]). His suppositis

---

[1]) S. Thom. II 2 qu. 173 a 1. S. Dionys. Areop. De coel. hier. c. 4. [2]) In II sent. dist. 8. Et in S. Thom.

Dico cum S. Thoma et cum commentatoribus ejus, praesertim Suario [1], ad propheticam cognitionem, quae fit Deo aliquid intrinsece revelante, duo requiri: unum ex parte objecti, ut illud repraesentetur intellectui, quod fit per species intelligibiles spirituales intellectus, alterum ex parte intellectus cognoscentis, ut habeat vim supernaturaliter cognoscendi illud objectum per species sibi repraesentatum; et hanc vim acquirit in actu primo intellectus vel per habitum fidei, quando res aliqua obscure intellectui revelatur, vel per aliud lumen clarius, distinctum specie ab habitu fidei, quod solet Prophetis a Deo per modum transeuntis immediate infundi, quando clare aliquam veritatem alicui revelat. Quo utroque vel alterutro praesidio intellectus Prophetae supernaturaliter elevatus, cum assentitur rei revelatae tanquam verae, tum facit seu format judicium de veritate seu certitudine revelationis, quod ejus auctor sit Deus. Hoc enim ad completam perfectionem revelationis propheticae necessario requiri, pluribus in locis docet S. Thomas, et colligitur ex Daniele Propheta (10, 1).

Porro species intelligibiles repraesentantes

III qu. III a 2 ad 2 qu. 105 a 1 et 4 qu. 106 a 2 I 2 qu. 9 a 6. Vasqu. in I p. S. Thom. d. 211 c. 2 n. 12. Suar. l. c. S. Bern. serm. 78 in Cant. (M. P. L. 178, 1159). [1]) II 2 q. 173 a 2. Suar. 1 de grat. prolog. 3 c. 5 n. 12 et disp. 8 de fide sect. 6 num. 3.

objectum illud, ut iidem Theologi docent, aliquando de novo producuntur et infunduntur a Deo, aliquando veteres antea praeexistentes certo quodam modo ab ipso Deo immediate ordinantur et disponuntur, quomodo non possunt ab ipso intellectu sola vi sua naturali coordinari et disponi ob praestantiam objecti supernaturalis, sive illud cognoscatur per scientiam per se infusam, ut loquuntur Theologi, sive infusam per accidens, per quam Salomoni divinitus fuit indita in uno momento multiplex cognitio rerum naturalium ad scientias naturales speculativas et practicas spectantium, quas erudite explicat noster Pineda in Praevio Salomone et Salianus [1]).

Cum autem Angelus nihil possit producere, non tantum spirituale, sed nec materiale et corporeum, nec ullos habitus intellectui humano infundere, ut Theologi constanter docent, et, quidquid facit in creaturis extra se, non faciat aliter quam per motum localem et impetum circa res mere corporeas, ideo non potest eo modo revelare hominibus illa, quae modis nunc explicatis dixi revelari a Deo. Et hanc forte ob causam dicit S. Bernardus, *nobis inesse angelum suggerentem bona, non ingerentem, inesse hortantem ad bonum, non bonum creantem; Deum vero sic inesse, ut afficiat, ut infundat* [2]).

[1]) Pineda l. III c. 10. Salianus A. M. 3022 n. 59 et 100.
[2]) S. Bern. De Consider. lib. V. c. 5 (M. P. L. 183, 795).

Quoad tertium, causae, ob quas existimo Deum non per Angelos, sed immediate per se S. Ignatio revelasse Institutum Societatis quoad quaedam, sunt hae:

Prima, quia in historiis ejus vitae, tum impressis, tum manu scriptis, omnibus, quas accuratissime legi acceptas ex archivio Societatis nostrae Romano, nullum prorsus extat indicium factae ei per Angelos talis illustrationis, sed expresse disertis verbis in iis narratur, ab ipso Deo S. Ignatium quaedam de Societatis Instituto esse edoctum, uti clare demonstravi cap. I.

Secunda causa. Quia nec ex theologica doctrina per bonam consequentiam contrarium potest deduci: tum ob ea, quae supra dixi cap. IV. et V., solvendo objectiones et respondendo ad varia quaesita, tum ob ea, quae nunc dicam. Nam, uti docent Theologi scholastici et eos secuti magni Scripturae Interpretes, Christophorus Castrius, Antonius Fernandius, Cornelius a Lapide, Delrius, revelatio proprie dicta, prout de ea hic disputo, essentialiter nihil est aliud ex parte Dei quam Dei locutio, qua Prophetae vel alteri homini supernaturaliter manifestat aliquid ab eo sciendum vel etiam faciendum, quod ab eo connaturaliter, vel absolute vel hic et nunc,

[1]) Castrius de vera cognit. lib. III. c. 2 in 12 prophet. Fern. in Vision. Vet. Testam praelud. 3 n. 5. Corn. a Lap. prooem. in Proph. Majores. Delr. tom. 2 disq. Mag. l. IV. c. 1 q. 1 lit. E.

sciri non poterat. Ex parte vero hominis revelatio passive accepta nihil est aliud quam auditio hominis, dum eum alloquitur Deus aliquid ei revelans, et notitia, quam accipit a Deo revelante. Qua in re non sunt duae actiones, sed una simplex intellectus actio seu conceptio, formaliter homini repraesentans id, quod Deus vult ab eo supernaturaliter cognosci illo actu intellectus. Hinc S. Bernardus a simili ait: *Sunt quaedam verba Verbi sponsi ad nos, nostrae meditationes de ipso. Tu ergo cum tibi aliqua talia volvi animo sentis, non tuam putes cogitationem, sed illum agnosce loquentem. Simillima enim sunt nostrae cogita mentis sermonibus Veritatis in nobis loquentis* [1]). Cum ergo a solo Deo immediate, operante cum potentia vitali humani intellectus, possit provenire actus vitalis intellectus et quaevis cogitatio seu notitia illius, non tantum supernaturalis, sed etiam mere naturalis, revelatio prophetica et quaevis cognitio supernaturalis intellectus a solo Deo immediate causatur, ac proinde non ab Angelo, qui non potest immediate illabi in intellectum humanum nec eum sic illuminare, ut supra ostensum est.

Tertia causa. Quia illa ipsa duo, quae supra ostendi praerequiri ad revelationem propheticam, scilicet species intelligibiles objecti revelandi, et lumen dans vim intellectui ad cogno-

[1]) S. Bern. In Cant. serm. 32. (M. P. L. 183, 947).

secundum objectum revelandum et ad ei assentiendum, non possunt produci a natura angelica, sed a solo Deo. Quocirca etiam ex hoc capite non potuerunt angelico ministerio revelari S. Ignatio ea, quae revelata sunt, sed debuerunt necessario ab ipso Deo immediate revelari.

Quarta causa. Quia res Instituti S. Ignatio revelatae sunt non speculativae tantum, ut solum cognoscerentur et crederentur, (quanquam et hoc solum sufficeret ad probandum id, quod intendo), sed revelatae sunt, ut ab eo per voluntatis actus efficaces executioni mandarentur, tum per ipsum, tum ut filiis ejus eae indicarentur ab ipsis exequendae et ab eo ad perpetuam rei memoriam scriberentur, vel scribendae ab amanuensibus per eum dictarentur, ut eorum confirmationem a Sede Apostolica peteret, et ut eorum executionem apud suos urgeret, et ut oppugnatoribus vel contradictoribus resisteret, ac res a se statutas defenderet, ubique promulgari curaret, ac dubia declararet. Qua in re multi actus et proposita efficacis voluntatis a S. Ignatio sunt elicita et profecta, dum ei res Instituti revelarentur. Cum autem juxta certam et receptam ab omnibus Theologis doctrinam, traditam a S. Thoma, Angeli non possint immediate movere et immutare voluntatem humanam[1]), (quae motio et immutatio voluntatis

[1]) S. Thom. I qu. 111 a. 2.

in S. Ignatio, et quidem multiplex fuit, ob plures actus voluntatis efficaces ab eo elicitos, tunc, dum ei revelarentur res Instituti) ideo etiam ex hoc capite non potuerunt immediate ab Angelis, sed a solo Deo ea revelari S. Ignatio.

Quinta causa. Quia res novas et in Ecclesia ante ipsum non practicatas, imo contrarias praxi aliorum Ordinum Religiosorum, S. Ignatius in Societate instituit Deo revelante, (quas capite sequenti recensebo), quocirca per motum phantasmatum (circa quae sola intra hominem vim suam exerit natura angelica) non potuerunt ab Angelis repraesentari intellectui Ignatii res tales ab eo institutae. Nam, ut bene Philosophi docent, non sunt ulla phantasmata seu species imaginationis in nostra phantasia seu imaginatione, nisi illae, quae in ea producuntur (et quidem non ab Angelis, qui eas producere non possunt, sed) a mediantibus objectis extrinsecis sensuum nostrorum. Unde fit, ut, quae a nullo sensu nostro percepta sunt, non sint in nobis eorum phantasmata, quae Angeli solum movendo et ordinando possint nostrum intellectum illuminare. Cum autem S. Ignatius quaedam talia in Instituto instituerit, quae nec auditu ex narratione aliorum, nec visu ex lectione librorum didicerit, eorum phantasmata non habuit, ac proinde per motum illorum talia ab Angelis discere non potuit. Nec etiam naturali vi pro-

prii intellectus ea assequi potuit per discursum, quia is naturaliter haberi non potest nisi per conversionem ad phantasmata, uti cum Aristotele omnes Philosophi et Theologi docent, et S. Dionysius Areopagita (cap. 1. coel. hierarch.) et S. Thomas (II. 2. q. 174. a 2. ad 4). Ideo necessario dicendum est, talia S. Ignatium a solo Deo immediate revelante didicisse. Non enim potest assignari aliud principium talis illuminationis praeter haec tria, ad quorum aliquod reducuntur omnes notitiae hominum: scilicet natura humana, angelica, divina, uti praeter Theologos et Philosophos bene docet apud Cassianum Abbas Moyses, et B. Laurentius Iustinianus[1]). Porro solvam infra id, quod contra hoc objici posset.

Sexta causa. Major fuit necessitas, ut immediate revelarentur ab ipso Deo res nostri Instituti S. Ignatio, quam ut fuerint revelata Adamo et Salomoni ea, quae ab ipso Deo, sine angelico ministerio, eis revelata sunt; quia per S. Ignatium plura Deus spiritualia beneficia immediate Ecclesiae suae praestitit quam praestiterit per Adamum et Salomonem, per quos beneficia praestita praestitisset, etiamsi illis ea non revelasset, quae revelavit. Cum ergo (ut supra vidimus ex S. Thoma) Deus multa revelarit Adamo

[1]) Cassian. Colloqu. I. c. 19. S. Laurent. Iust. De humilit. c. 6.

et Salomoni per se solum immediate, non per Angelos, et quidem minus necessaria, vel saltem minus utilia Ecclesiae quam sit Institutum Societatis, omnino dicendum est, Deum quoque immediate per se, non per Angelos, revelasse S. Ignatio res illas Instituti Societatis, quas revelavit. Prudens enim et benifica Dei providentia et charitas non magis se per se immediate ibi communicat, ubi minus est necessaria ejus immediata communicatio.

Septima causa. Magis erat necessaria S. Ignatii personae, ut Fundatori novi Ordinis et Ordini ab eo instituendo, adeo salutari toti Ecclesiae catholicae (uti experientia docuit et testantur Vicarii Christi in Diplomatibus suis, et agnoscunt omnes boni amici et inimici Ecclesiae Romanae ac Societatis), immediata Dei revelatio rerum Instituti Societatis, quam revelatio mysteriorum fidei et scientiarum humanarum. Sine hac enim aeque bene potuisset Ignatius et ab eo instituta Societas servire Ecclesiae Sanctae, minus vero bene nec aeque audacter, constanter et fortiter sine illa. Atqui supra, cap. III, ostensum est, Deum ante inchoatam nostri Instituti fundationem revelasse immediate S. Ignatio multa ad fidei mysteria et humanas scientias spectantia, et quidem in uno momento, quod nequaquam per vires angelicas, etiam circa objecta mere naturalia potest effici, etiam dum naturali modo percipiuntur; ergo multo magis

immediate per se solum, sine ministerio angelico, revelavit Deus S. Ignatio res nostri Instituti.

Octava causa. Certum est ex doctrina S. Gregorii Papae, S. Augustini, S. Bernardi, S. Thomae et aliorum Theologorum ac Patrum supra citatorum et hic citandorum, ac ex historiis ecclesiasticis fide dignis, (et manifeste colligitur ex Apostolo) posse esse et contemplationem et revelationem seu visionem mere intellectualem sine imaginaria, (circa quam solam potest versari ministerium angelicum, dum homines interne illuminant) et quandoque Deum immediate per se solum, sine ministerio Angelorum, post scriptos omnes Sacrae Scripturae libros quaedam suis servis revelasse et revelare, etiam minus necessaria et minus utilia S. Ecclesiae quam fuerit et sit Institutum Societatis, uti fuerunt revelata multis futura contingentia, dependentia a libero hominum arbitrio, successus belli et negotiorum varii, arcana cordium, mortes, morbi, praeter et contra naturalem cursum ac dispositionem causarum secundarum subsecutae, caritas annonae. Ita docent Sancti et Theologi. Et tale donum promissum fuit certis S. Ecclesiae membris, ad hoc a Deo pro suo libitu destinatis, Ioel. 2, 28, quam Dei promissionem et donum etiam ad tempora Novae Legis spectare, docet S. Petrus [1]), et continuatum esse omnibus

[1]) Act. Ap., 2, 16.

posterioribus in Ecclesia catholica, testantur S. Greg. Papa, S. Greg. Turon., S. Severus Sulpitius, S. Bern., S. Antonin., ut omittam S. Athanasium et S. Hier. in Vitis Sanctorum ab iis scriptis, et alios Sanctos posteriores, qui apud Andream Lipomanum et Laurentium Surium legi possunt, et compendio recensentur a Thoma Bozio in libro de signis Ecclesiae [1]). Quaecunque autem causa adferatur factae aliquibus Sanctis immediate per Deum sine ministerio angelico alicujus revelationis, ea quoque prudenter solide demonstrari potest intercessisse in factis S. Ignatio revelationibus rerum Instituti Societatis. Quapropter negari non potest, sed concedi debet, etiam S. Ignatio immediate per ipsum Deum, non per Angelos, esse revelatas quasdam res Instituti Societatis.

Nona causa. Quia experientia et rerum divinarum periti magistri docent, dum Deus res novas valde raras et insolitas servis suis revelat

[1]) Hebr. I. 1. S. Greg. mor. l. XVIII. c. 2. S. Bas. in c. 7. Isai. Egredere in occursum. S. Aug. De Trin. l. IV. c. 17 et l. II. c. 7. 11 et l. XII. c. 24 et Ep. 112 c. 12 et l. de Gen. ad litt. c. 3. 5, 6, 12, 24, 26. S. Thom. II. 2 q. 174 a 2 et 3 et in III d. 34 q. 1 a 2 et 4 et q. 2 de Ver. a. 9 et lect. 1 in II. Cor. 12. S. Bern. s. 33, 35, 41, 45, 52, 69 in Cant. et s. de 7 Spiritib. et s. 11 in Ps. 90 Imit. S. Bon. 5 itin. d. 4. ubi cit. pro eadem sent. Richar. a S. Vict. et Haym. Hugo Victorin. l. II. de anima c. 20. Dion. Carth. l. de vita inclusorum c. ult. et in 1 sent. d. 2 et in Com. Theol. myst. a 2.

per imaginarias illustrationes, in quas tantum habent vim Angeli, praesertim si magni momenti sint res revelatae et ad publicum S. Ecclesiae bonum et animarum notabilem fructum ac salutem spectantes, id non percipi a servis Dei sine abstractione a sensibus, quae extasis et raptus a Theologis cum S. Thoma appellatur et conjuncta est cum non usu sensuum. Quando vero Deus repraesentatione intellectuali aliquid revelat, locum ibi non habet abstractio extatica vel alienatio a sensibus, ut bene observavit Fr. Ioannes a Iesu Maria, Carmelita Discalceatus, vir sanctus et doctus, et hujus rei adfert causam. Atqui dum S. Ignatio res Instituti nostri revelarentur, non modo non abstrahebatur a sensibus, sed, quemadmodum ipsemet dixit P. Ludovico Consalvo et ab hoc scriptum habemus, *etiam comedens et colloquens cum aliis de rebus gravissimis, et per urbem incedens, supernaturales visiones percipiebat divinarum personarum et B. Virginis*, a quibus ei secreta coelestia revelabantur et res ab eo circa Institutum statutae confirmabantur. Quae etiam scribunt de S. Patre Ribadeneyra, Orlandinus [1]) et ex parte P. Ludovicus de Palma, qui ait, *se audivisse a Patre Aegidio Gonzalez asserente, dictum sibi public et aliis a Patre Everardo Mercuriano, Generali Societatis, quod ei P. N. Ignatius dixerit,*

[1]) Ribad. lib. IV. c. 2. Orl. lib. X. n. 58. S. J. Iter Spirit. lib. V. c. 2.

sibi in exercitio de duobus vexillis Deum ante oculos posuisse et demonstrasse ideam et modellum Instituti Societatis.

Objicies, supra dictum esse, quod cuidam virgini Mediolanensi revelatum fuit, S. P. N. Ignatium tunc, dum esset in raptu per octo dies continuos, Institutum Societatis divinitus cognovisse; ergo id fuit ei per Angelos revelatum.

Respondeo, negando consequentiam; quia, etsi verum est, quae per Angelos revelantur, ut plurimum revelari cum abstractione a sensibus, tamen non semper; ut nimis certum esse probat experientia eorum Dei servorum, quibus talia contingunt, mihi probe notorum, et patet ex historiis ecclesiasticis. Similiter multa Deus etiam in perfectissimo raptu vel extasi revelat immediate per se, sine phantasmatum adminiculo. Et sic revelavit Adamo in primo illo sopore mysteria praecipua fidei, ut docent SS. Patres supra citati. Ergo, si in illo octiduano raptu Deus S. P. Ignatio revelavit Institutum Societatis, non est necesse asserere, id esse revelatum mediante ministerio Angelorum. *Confirmantur* supra dicta a simili, vel potius a minori ad majus: Etiam in contemplatione naturali rerum abstractarum cujuslibet sapientis sine phantasmatum (per quae sola Angeli homines illuminant interius) speculatione contingere posse in-

tellectionem, docet Aristoteles. Thianensis, Toletus, Valentia [1]).

Nec audiendus est Fr. Thomas a Iesu, (idem sentiens quoad supra dicta) dum ait [2]), S. Bernardum asserere, per Angelos illuminari homines speciebus intellectualibus, ut sunt diversae a phantasmatibus, quasi eas missi a Deo menti inserant ut quaedam veritatis signacula. Hoc enim est contra principia theologica, quae Angelis totam activitatem immediatam tribuunt circa sola corporalia, ac proinde nil possunt circa species intelligibiles incorporeas immediate agere nec eas inserere intellectui nostro. Cum ergo S. Bernardus ait, *Angelos importare conspectibus contemplantis animae spirituales quasdam similitudines* [3]), de phantasmatibus loquitur corporeis, quae respectu corporum crassorum veluti spirituales sunt, tum ob subtilitatem eorum materialem, tum ratione objecti spiritualis, circa quod versantur. Quo sensu res corporeas et materiales S. Paulus appellat spirituales: *hominem* [4]), *corpus nostrum resuscitatum* [5]), *manna et aquam e petra a Moyse excussam* [6]), *hymnos et cantica* [7]). Ideoque loco citato S. Bernardus expresse ap-

[1]) Arist. l. 2 de anima c. 14 et l. 3 textu 30 Thian. ad text. 39. Tol. q. 2 Valent. tom. 2 disp. 6 q. 1 pun. 3. [2]) Thom. a Iesu De contempl. div. l. V c. 2. [3]) S. Bern. serm. 41 in Cant. (M. P. L. 178, 986). [4]) Epist. ad Cor. I. 2, 15. 12, 1. Ep. ad Gal. 6, 1. [5]) I Cor. 15, 44. [6]) I Cor. 10, 3. 4. [7]) Eph. 5, 19. Coloss. 1. 3. 16.

pellat *similitudines imaginarias,* ut infra suo loco ostendam.

Dices primo: Ex dictis sequi videtur, nec S. Pachomio, nec S. Posthumio per Angelos esse revelatas Regulas eis divinitus missas, si S. Ignatio revelatae non fuerunt per illos, imo revelari non potuisse ob ea, quae supra dicta sunt, cum tamen constet ex historia ecclesiastica, utrique ab Angelis esse eas revelatas, et supra idem asseratur.

Respondeo primo, negando sequelam, si loquamur de revelatione extrinseca, idque duas ob causas. *Primo,* quia ex historia ecclesiastica aperte constat, angelico ministerio utrique illi Sancto Regulas esse traditas extrinseca apparitione, hoc autem non constat de S. Ignatio ex ulla historia, et ex principiis theologicis contrarium accidisse supra ostendi.

Respondeo secundo: Etiamsi non constaret ex historiis ecclesiasticis id quod dictum est, adhuc per theologicum discursum recte deduceretur, potuisse Regulas utrasque his duobus Sanctis tradi per Angelos, quia sunt omnes illae Regulae circa res fere exteriores, sensibus perceptibiles, denique circa omnes tales, quarum phantasmata in illis Sanctis et in quovis nostrum sunt causata ex rebus visis et auditis. Facta ergo ab Angelo extrinseca propositione harum Regularum, auribus sensibiliter ab his duobus Sanctis perceptarum communi modo,

quo quemvis hominem etiam scelestum ad bonum suadendo excitant, poterant localiter movere phantasmata eorum phantasiae, et sic Regulas propositas repraesentare eorum intellectui. Sed intellectus eorum adhuc indigebat supernaturali concursu Dei, ut per suum actum assentiretur Regulis illis, et crederet, eas a Deo ipsis esse per Angelum traditas, et ut voluntas eorum eas vellet acceptare et aliis promulgare et executionem eorum apud suos urgere. Itaque etiam in hoc harum Regularum revelatio praecipua et interna magis a Deo quam ab angelico ministerio dependebat, quod etiam B. Virgini contigit, dum ei per Angelum est annunciata Verbi divini Incarnatio, ut docet S. Thomas. Idem dicendum est juxta principia theologica de quavis alia divina revelatione [1]). Unde S. Augustinus ait, etiam ipsius Christi, dum viveret, solam externam praedicationem auribus corporis perceptam ab auditoribus ejus non fuisse sufficientem ad conversionem auditorum, nisi praeter Christi praedicationem sensibilem accessisset interna illustratio intellectus et motio voluntatis per internam Dei gratiam causata. Ideo scimus ex evangelio, multos audivisse Christum praedicantem nec esse conversos, et ex conversis antea resiliisse ab eo post auditum sermonem [2]). Multo ergo minus externa et sen-

[1]) S. Thom. III. qu. 30 a 3 ad 1. [2]) Ev. S. Ioann. 6, 61. 67.

sibilis propositio rerum sciendarum facta per bonos Angelos satis erat, ut Regulae illae tanquam a Deo traditae a Sanctis illis acceptarentur et crederentur et executioni mandarentur.

Dices secundo: Ex dictis sequeretur, nec Moysi per Angelum esse revelata praecepta et Legem Decalogi, cum tamen contrarium videatur asseri Act. 7, 30. 38. Galat. 3, 19. Hebr. 2, 2.

Respondeo primo: Concedo sequelam, si loquamur de revelatione interna proprie sumpta, (prout hic loquimur de revelatione Instituti facta per Deum S. Ignatio) nam ob causas paulo ante allatas non potuerunt per Angelos praecepta Decalogi Moysi revelari intellectualiter. Ad locos vero Scripturae citatos dico, in nullo eorum asseri, revelatam esse interius Moysi legem per Angelos, sed Act. 7. 30. tantum dicitur, *apparuisse Moysi Angelum in igne flammae rubi:* versu vero 38, *Angelum locutum esse Moysi in monte Sina:* quae prorsus diversa sunt a revelatione interna, de qua sola hic agimus. Porro Gal. 3. 19. lex Mosaica dicitur *ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, hoc est, Moysis, eo quod exteriore voce formata per Angelos et auribus Moysis percepta, lex illa sit tradita, eo modo proportionaliter, quo fuit naturali voce Moysis populo dein promulgata Dei nomine. Deinde Hebr. 2, 2. dicitur, *per Angelos dictum esse sermonem*, nimirum, quia per vocem sensibilem auribus Moysis promulgata est lex

sermone angelico: quae omnia ad extrinsecam apparitionem et loquelam spectant, non ad revelationem, quae fit in intellectu et in actu illius sita est, qualis a solo Deo et ab intellectu pendet tanquam actus vitalis illius, quem Angelus immediate producere et causare non potest.

Respondeo secundo: Si loquamur phrasi ecclesiastica, per quam bene solemus dicere, esse aliquibus revelata ea, quae eis vel per Angelos vel per alios Sanctos visibiliter vel imaginarie apparentes manifestantur, sive futura, sive alia occulta, sive quae facere vel vitare debent, hoc modo bene dici, per Angelos esse revelatam extrinsece Moysi Legem Decalogi, prout eodem modo fuit revelata Regula S. Pachomio et B. Posthumio. Verum hoc modo esse revelatum S. Ignatio Institutum, dici non potest ob causam primam supra allatam; dici autem necessario debet, praestantiore modo esse revelatas ei res aliquas nostri Instituti, quia sunt revelatae per intellectuales notitias a solo Deo in ejus intellectu causatas supernaturali modo prophetico, qui modus revelationum, caeteris paribus, est praestantior iis, quae fiunt per objecta sensibilia et per solius imaginationis concursum, ut bene docent S. Augustinus et S. Thomas [1]).

Dices tertio: S. Dionysius, S. Bernardus et

[1]) S. Aug. De Gen. ad litt. lib. XII c. 9. S. Thom. II 2 qu. 174 a. 2 3 et III qu. 30 a 3 ad 1.

S. Thomas expresse dicunt [1]), prophetícas revelationes fieri per Angelos tanquam Dei ministros, et hoc exigere divinum ordinem, ut infima disponantur per media; ergo revelatio Instituti facta S. Ignatio prophetica non fuit, vel, si prophetica fuit, per Angelos facta est.

Respondeo, et S. Dionysium et S. Bernardum et S. Thomam loqui de ordinario modo et communi, quo Deus suos prophetice illuminat, hoc enim facit communiter per Angelos, vel imaginationem humanam movendo per eos ad aliquid cognoscendum prophetice, vel per objecta sensibus repraesentata aliquid eis indicando. Non loquuntur autem de omnibus prorsus revelationibus et illustrationibus divinis. Nam idem S. Dionysius expresse docet et S. Thomas [2]) post ipsum, Angelis supremae hierarchiae ab ipso Deo immediate revelari ea, quae postea revelant Angelis inferioris hierarchiae, et idem S. Thomas pluribus in locis docet, et Adamo et Davidi et Salomoni et B. Virgini et Apostolis a Deo immediate esse varia revelata, uti c. V. ante finem allatis ejus testimoniis ostensum est. Simili ergo modo et aliis quandoque Deus per se immediate, sine ministerio angelico, sua secreta revelat, quando id exigit vel praestantia rei revelatae (quae per species imaginationis vel

[1]) S. Dionys. Ar. de coel. hier. c. 4. S. Bern. In Cant. serm. 41. S. Thom. II 2 qu. 172 a 2. [2]) S. Dionys. Ar. De coel. hier. c. 8. S. Thom. I qu. 106 a 1.

sensuum indicari non potest), vel alias ob causas soli Deo notas, cujus actiones et dona humanam prudentiam excedunt et per eam mensuranda non sunt. Porro S. Bernardus non ait, per solos Angelos homines divinitus edoceri, sed *per spirituales similitudines*. ut ipse loquitur, *divinae sapientiae sensa animae contemplantis conspectibus importari solitas*, quas etiam paulo post appellat *imaginatorias quasdam rerum inferiorum similitudines*, et sic agnoscit aperte, intellectuale lumen a solo Deo infundi solitum, ad cujus pleniorem notitiam conducunt etiam hae similitudines Angelorum ministerio formatae; ait enim: *Cum autem divinius aliquid raptim et veluti in velocitate corusci luminis interluxerit menti spiritu excedenti*, (scilicet lumen ab ipso Deo infusum, praestantius similitudinibus formatis in imaginatione ab Angelis) *continuo, nescio unde, adsunt imaginatoriae quaedam rerum inferiorum similitudines infusis divinitus sensis* (ergo non per Angelos, quorum similitudines ab his distinguit), *convenienter accommodatae, quibus quodam modo adumbratus purissimus ille et splendidissimus veritatis* (id est a solo Deo immediate immissus) *radius et ipsi animae tolerabilior fiat, et quibus communicare illum voluerit, capabilior*. Quod adhuc clarius statim declarat: *Existimo tamen, ipsas formari in nobis sanctorum suggestionibus Angelorum* (scilicet imaginatorias illas similitudines). *Et fortassis hinc illud est speculum atque aenigma,*

per quod videbat Apostolus (I Cor. V 12) *ex istiusmodi puris pulchrisque imaginationibus Angelorum quasi manibus fabricatum; quatenus et Dei esse, quod purum et absque omni phantasia corporearum imaginum cernitur,* (scilicet per lumen mere intellectuale, quale habuit S. Ignatius de rebus Instituti Societatis) *sentiamus; et elegantem quamlibet similitudinem, qua id digne vestitum apparuerit, ministerio deputemus angelico*[1]). Docet ergo S. Bernardus, infusa divinitus sensa non per Angelos, sed a Deo solo sine imaginariis similitudinibus oriri, ea tamen per Angelos postea adumbrarari, et, ut infra addit, *nitorem quoque eloquii per ipsos extrinsecus ministrari, quo congrue atque decenter ornatae et facilius ab auditoribus capiantur et delectabilius.* Quod si quis S. Ignatio ab Angelis praestitum esse dicat, dum Constitutiones a solo Deo quoad quaedam traditas scriberet postea vel dictaret, non repugnabo, dummodo prima earum cognitio a solo Deo accepta dicatur, promulgatio vero earum ab Angelis adjuta.

Dices quarto: Ex dictis videtur posse inferri, praestantiori modo revelatas esse Regulas S. Pachomio et B. Posthumio quam S. Ignatio Societatis Institutum, siquidem S. Ignatio non fuit revelatum per Angelos, uti his duobus Sanctis,

---

[1]) S. Bern. Serm. 41 in Cantic. (M. P. L. 178, 986) n. 3.

et praeterea quia, ut dictum est, etiam intellectualiter eis hae ipsae Regulae ab ipso et solo Deo revelatae fuerunt. Docet autem S. Augustinus et S. Thomas, perfectiorem esse illam revelationem, quae fit non tantum in intellectu, uti facta dicitur S. Ignatio, sed etiam simul in imaginatione.

Respondeo, negando, perfectiore modo esse revelatas his duobus Sanctis Regulas quam S. Ignatio Societatis Institutum. Deinde dico, S. Thomam in illo articulo contrarium prorsus asserere absolute et probare, perfectiorem esse visionem intellectualem puram quam intellectualem cum imaginaria conjunctam. In responsione autem ad *primum* argumentum, simile huic objectioni, tunc tantum dicit revelationem esse perfectiorem, in qua praeter lumen intellectuale est etiam imaginaria visio, *quando aliqua veritas revelatur a Deo per similitudines corporales; sed quando revelatur nude intelligibilis veritas secundum intellectualem veritatem* (uti revelatum est S. Ignatio Institutum Societatis), *tunc talem revelationem* S. Thomas expresse dicit *perfectiorem esse illa intellectuali, quae adjunctam habet imaginariam, factam per similitudinem corporalium rerum.* Idque hinc probat, quia revelatio facta sine similitudinibus corporeis et imaginariis *secundum in-*

[1]) S. Aug. De Gen. ad litt. lib. XII c. 9. S. Thom. II 2 qu. 174 a 2 ad 1 et III qu. 30 a 3 ad 1.

tellectualem veritatem est propinquior et similior visioni patriae, secundum quam in essentia Dei veritas conspicitur. Idque confirmat S. Thomas auctoritate glossae positae in principio Psalterii, quae excerpta est ex Cassiodoro et innuitur in Prologo Hieronymi, scilicet, *illum modum prophetiae caeteris digniorem esse, quando ex sola S. Spiritus inspiratione, remoto omni exteriori adminiculo facti vel dicti, vel visionis, vel somni, prophetatur.* Quam doctrinam S. Thomas illustrat hac similitudine: *Sicut*, inquit, *in doctrina humana auditor ostenditur esse melioris intellectus, qui veritatem intelligibilem a magistro nude prolatam capere potest, quam ille, qui indiget sensibilibus exemplis ad hoc manu duci. Unde in commendationem prophetiae David dicitur: Mihi locutus est fortis Israel*[2]*. Et postea subdit: Sicut lux aurorae oriente sole mane absque nubibus rutilat.* Et in responsione ad *secundum* hanc ipsam confirmans doctrinam sic habet: *In his, quae non quaeruntur nisi propter aliud, quando agens potest ex pauciоribus et propinquioribus ad suum intentum pervenire, tanto videtur esse majoris virtutis: sicut magis laudatur medicus, qui per pauciora et leviora potest sanare infirmum. Visio autem imaginaria,* (eadem est ratio de revelatione veritatum cognoscendarum, quae etiam essentialiter est visio quaedam supernaturalis, ob quam Prophe-

[1]) Cassiod. Prol. sup. Psal. 1. [2]) II Reg. 23, 4.

tae olim, quibus sua secreta revelabat Deus, vocabantur Videntes) *visio inquam, imaginaria, in cognitione prophetica non requiritur propter se, sed propter manifestationem intelligibilis veritatis, et ideo tanto potior est, quanto minus ea indiget.* Quocirca merito S. Dionysius dixit: *Sermo divinus omni plenus sapientia visum illud dicit divinum, quod similitudinem in illo ipso viso figuram, tanquam in figura eorum, quae figurari nequeunt, ostendebat*[1]).

Dices quinto: Unde cognosci potest, S. Ignatio tali intellectuali revelatione seu visione revelatas esse res Instituti Societatis, qualem S. Thomas docet esse perfectiorem alia intellectuali conjuncta cum visione imaginaria?

Respondeo, hoc punctum etsi supra sat declaratum sit, tamen magis adhuc me declaraturum infra, postquam recensuero ea, quae existimo esse S. Ignatio immediate a solo Deo revelata. Nisi enim ea prius agnoscantur, non potest solida et brevis ac sine digressionibus dari huic interrogationi responsio.

CAPUT VII.

Recensentur eae res Instituti Societatis, quae immediate sunt a Deo ipso revelatae S. Ignatio.

Dico primo: Omnes res substantiales Instituti Societatis esse a Deo immediate revelatas

[1]) S. Dion. Areop. De coel. hier. c. 4 (M. P. Gr. III 3, 179).

S. Ignatio. Probatur conclusio ex dictis supra, capite primo: Quia hoc ipse S. Ignatius fassus est et dixit P. Iacobo Laynez. Quae autem sint substantiales res Instituti Societatis, statim dicam.

Dico secundo cum Congregatione Generali quinta, Decr. M. S. 74, impresso 58: *Substantialia Instituti esse, quae in Formula seu Regula Societatis, Iulio III proposita et ab eo aliisque Successoribus confirmata, continentur. Deinde ea, sine quibus illa aut nullo modo aut vix constare possunt, cujusmodi sunt:*

Primo. Esse aliqua impedimenta essentialia in admittendo.

Secundo. Non esse necessarium, ut in dimittendo forma judicialis servetur.

Tertio. Reddendam esse Superiori conscientiae rationem.

Quarto. Contentum esse debere unumquemque, ut omnia, quae in eo notata fuerint, per quemvis, qui extra confessionem ea acceperit, Superioribus manifestentur.

Quinto. Paratos esse omnes debere, ut se invicem manifestent, debito cum amore et charitate. Et alia his similia, a quibus nunc declarandis Congregatio brevitatis causa supersedendum censuit, cum praesertim Generales Praepositi ea pro tempore ad praxim declarare possint, dum in aliis Congregationibus Generalibus non declarantur.

Dico tertio: Praeter enumerata supra a Con-

gregatione Generali Quinta conclusione secunda, haec quoque esse substantialia Instituti, quia in Bulla Iulii tertii, anno 1550. duodecimo Kal. Aug. data, sunt confirmata:

Primo. Religionem a S. Ignatio fundatam Societatis Iesu nomine insigniendam esse.

Secundo. Finem hujus Societatis esse fidei defensionem et propagationem et profectum animarum in vita et doctrina christiana, per publicas praedicationes, lectiones, et aliud quodcunque verbi Dei ministerium, Spiritualia Exercitia, puerorum ac rudium in catechismo institutionem, Christi fidelium in confessionibus audiendis ac ceteris sacramentis administrandis spiritualem consolationem, dissidentium reconciliationem, et eorum, qui in carceribus vel hospitalibus inveniuntur piam subventionem et ministerium, ac reliqua charitatis opera, prout ad Dei gloriam ac commune bonum expedire visum fuerit, exequenda, gratis omnino, nullo stipendio accepto.

Tertio. Officiorum distributionem in Societate esse debere totam in manu Praepositi Generalis, vel eorum, quos ipse sibi ea cum auctoritate substituerit.

Quarto. Praepositum Generalem cum fratrum suorum consilio, juxta Constitutiones totum habere debere jus ordinandi et jubendi, quae ad Dei gloriam et commune bonum in Domino pertinere videbuntur.

Quinto. Praepositum Generalem dubia in Instituto declarandi auctoritatem debere habere.

Sexto. Professos ultra tria vota communia speciali voto se debere astringere, ut, quidquid Romani Pontifices ad profectum fidei et animarum pertinere judicaverint et ad quascunque provincias eos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione illico, quantum in illis fuerit, exequi teneantur, quamvis ad infideles et haereticos et fideles quosvis mittendos censuerint.

Septimo. Missiones has a Romano Pontifice non esse procurandas a particularibus, nec per se, nec per alium, sed hanc curam Deo, Romano Pontifici et Societatis Praeposito committendam.

Octavo. Praepositum Generalem ad plura vota esse eligendum, prout in Constitutionibus declaratur.

Nono. Domus aut ecclesias professas nullos proventus et possessiones debere habere, nec jus ad ulla bona stabilia, praeter ea, quae opportuna erunt ad usum proprium et habitationem, acquirere, sed ut rebus sibi ex charitate donatis ad necessarium vitae usum sint contenti.

Decimo. Posse tamen haberi Collegia eum reditibus ad studiosorum commoditatem, quae sint tanquam Seminarium Domus professae.

Undecimo. Omnimodam gubernationem seu superintendentiam supra ejusmodi Collegia et

praedictos studentes, quoad Rectorum gubernationem ad studentium electionem, admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem, eruditionem, aedificationem, correctionem, victus vestitusque et aliarum necessariarum rerum administrandarum regimen, modum, atque aliam omnimodam gubernationem ac curam penes Praepositum vel Societatem esse debere.

Duodecimo. Studentes dictis bonis abuti aut Societatem professam ea in proprios usus convertere non posse.

Decimotertio. Societatis Presbyteros ad dicendum officium non communiter in choro, sed privatim teneri.

Decimoquarto. In iis, quae ad victum et vestitum et cetera exteriora pertinent, honestorum Sacerdotum communem et approbatum usum Societatis Presbyteros sequi debere.

Decimoquinto. Ne quis ad Professionem in Societate admittatur, nisi diuturnis et diligentissimis probationibus ejus vitae puritas et doctrina conspicua fuerit explorata.

Decimosexto. Aliqui in Coadjutores, tam in spiritualibus quam in corporalibus, vel in Scholares admittendi, ad vota, sed non solemnia, post sufficientes probationes et tempus in Constitutionibus expressum.

Decimoseptimo. Aliquos tamen ex iis idoneos repertos, de licentia Praepositi, tria vota solem-

nia facere posse, quibus teneantur, quamdiu Praepositus Generalis in Societate eos retinendos censuerit.

Atque haec tantummodo compendiose a me relata continentur in Regula Societatis a Iulio III motu proprio et ex certa scientia, auctoritate Apostolica confirmata, in qua Regula contineri substantialia Instituti declaravit quinta Congregatio Generalis loco supra citato.

Dico quarto: Si verum est, quod asserit Suarez (De Religione tr. X. l. I. c. 4. n. 13): *Substantialia Instituti Societatis ea omnia esse, quae a Sede Apostolica expresse in specie recognita et approbata sunt,* multo plura quam superius enumerata sunt S. Ignatio in Instituto Societatis revelata. Cum ergo ostenderim, omnia substantialia et quaedam non substantialia esse a Deo revelata S. Ignatio, hinc sequitur, etiam illa esse revelata, quae P. Suarius tanquam sanctus et doctus dixit esse substantialia et putavit a S. Ignatio esse instituta, *si non per expressam revelationem, saltem per specialissimam directionem ac institutum, nec per qualemcunque excitationem et inspirationem, sed per specialia dona Spiritus Sancti, superiora ordinariis virtutibus et auxiliis, Ignatium fuisse motum et directum a Spiritu Sancto, ut neque erraret, neque ab eo, quod utile esset, deviaret.*

Confirmatur haec conclusio auctoritate quintae Congregationis Generalis, quae declaravit,

non tantum ea esse substantialia Societatis quae in Bulla secunda Iulii III. continentur, nec ea tantum quinque puncta, quae ipsamet declaravit esse essentialia, *sed etiam alia his similia, sine quibus ea, quae sunt confirmata a Iulio III. et ab aliis ejus Successoribus, nullo modo aut vix constare possunt;* quae tunc tamen declarare noluit, sed ad praxim declaranda Praepositi Generalis judicio reliquit. Inter haec autem omnino reponendum videtur, quod et in Regulis et in praxi Societatis habetur, ne scilicet Consultores Superiorum, habeant ulla in re votum decisivum. Adducor ad id sentiendum decreto manu scripto 82, impresso vero 65 Congreg. General. quintae, cui cum Cardinalis Toletus nomine Clementis VIII. proposuisset, *ut examinaretur in Congregatione, an Assistentes in aliquibus casibus debeant habere votum decisivum, et judicaretur per vota secreta et referretur, Sanctissimo vel Cardinali; per vota secreta ab illa Congregatione, exceptis quinque, omnes censuerunt, non esse concedendum, nihil hac in re innovandum, cum praesertim haec innovatio unum ex Instituti essentialibus convelleret.* Nihil autem substantiale convelleretur per hoc, nisi conditio Superiorum, quibus solis reliquit Societas votum decisivum post auditos Consultores, alioquin monarchica gubernatio, quam Societas amplexa est, converteretur in aristocraticam, ut Superiorum

potestas, prout a S. P. Ignatio eis relicta est, diminueretur.

Dico quinto: Etiam quaedam non substantialia Instituti esse S. Ignatio immediate divinitus revelata. Probatur conclusio, Quia S. Ignatius dixit P. Consalvo, se ea divina illustratione didicisse Manresae, peregrinationes suscipiendas esse inter alias probationes Societatis, et alia quaedam; at hoc non est substantiale Instituti, ergo aliquid non substantiale Instituti est S. Ignatio a Deo revelatum.

Dico sexto: Valde probabile esse, omnia illa, quae Societas habet prorsus diversa ab aliis religiosis Ordinibus, S. Ignatio divinitus esse revelata. Moveor ad hoc assserendum his rationibus:

Primo. Quia Deus non revelat suis servis res, quae alio modo naturali sciri ab iis tunc possent. Si enim in naturalibus rebus Deus nil frustra vel sine causa facit, multo minus dum supernaturaliter operando aliquem prophetice illuminat. Et hac ratione dignoscitur inter alia Dei revelatio ab illusionibus naturae vel daemonis, si illa contingat cum justa necessitate et causa. Atqui ad statuendas res novas in Ecclesia Dei antea insolitas, imo ignotas, prout statutae sunt a S. Ignatio et traditae, ejus humana prudentia non ausa fuisset se extendere, eo praesertim tempore, quando ob novitates Lutheri et Illuminatorum omnia nova erant suspecta. Credibile ergo est, S. Ignatium, uti

valde circumspectum, altiori lumine quam humano edoctum esse, ut nonnullas res novas in Societate institueret.

Secundo. Major erat necessitas, ut Deus S. Ignatio revelaret tales res novas ab ejus Religione servandas, etsi non substantiales, quam ut eidem revelaret antiqua fidei dogmata, quae alio modo discere poterat, et modum, quo Deus creavit mundum, et multa ad scientias humanas spectantia, et futuros rerum successus.

Si quaeras, quaenam sint illa Societatis propria, cum aliis Ordinibus non communia?

Respondebo primo. Biennium novitiatus.

Secundo. Vota simplicia novitiatus, etiam ante finem biennii cum facultate Superiorum ex devotione emitti solita.

Tertio. Ne possint tria vota religiosa, verum religiosum facientia, emitti ante completum biennium.

Quarto. Vota simplicia exacto primo biennio novitiatus fieri solita, sine professione solemni.

Quinto. Peracto biennio et tribus solitis votis simplicibus emissis addendum quartum de acceptando gradu in Societate, sive Professorum sive Coadjutorum formatorum, prout Praepositus Generalis statuerit.

Sexto. Quod haec vota simplicia faciant verum Religiosum, non minus quam professio.

Septimo. Distinctio personarum in Societate, in qua sunt alii Scholastici, alii Coadjutores spi-

rituales et temporales formati, alii Professi trium votorum, alii Professi quatuor votorum, alii, uti olim admittebantur, indifferentes ad haec.

Octavo. Experimenta, quae biennio novitiatus fieri solent.

Nono. Tertius annus probationis post absoluta studia.

Decimo. Votum quartum obedientiae specialis a Professis fieri solitum.

Undecimo. Quinque alia vota simplicia ab iisdem post professionem emitti solita.

Duodecimo. Triplicium votorum diversitas in Societate. Nam Scholastici vota simplicia privatim emittunt, Professi vero publice tria et quatuor solemnia, Coadjutores formati tria simplicia, sed publice.

Decimotertio. Effectus diversi votorum. Nam vota Professorum solemnia et Coadjutorum publica, at non solemnia, reddunt eos incapaces haereditatum et dominii bonorum, vota vero simplicia Scholasticorum non reddunt incapaces successionis in haereditatibus, nec privant eos dominio bonorum, si aliqua possideant.

Decimoquarto. Vota simplicia Scholasticorum eos ita reddunt matrimonii incapaces, ut, si iis non dispensatis aliquis eorum contraheret matrimonium, non tantum illicitum esset, sed et invalidum et irritum.

Decimoquinto. Ut fiat confessio generalis bis in anno a Novitiis et Scholasticis, semel a Pro-

fessis et Coadjutoribus formatis. Idque non coram quovis, sed assignando a Superiore, idque certo et non ad libitum uniuscujusque.

Decimosexto. Ad novitiatum admissi non necessario habent vestitum religiosum, sed saeculari uti possunt, uti olim utebantur nostri vivente S. Ignatio, ut P. Ludovicus Consalvus in Diario scribit. Cujus tempore erat quaedam opinio de vita prae ceteris religiosius instituenda, quorum vestes saeculares in novitiatu portatae tardius atterebantur, idque eventus rerum demonstravit tum in aliis, tum in P. Consalvo Sylveria, mortuo martyre.

Decimoseptimo. Ligati votis simplicibus, et Scholastici et Coadjutores formati, possunt justis de causis dimitti, et dimissi liberi manent a votis in Societate factis, non sic Professi.

Decimooctavo. Etiam non professi, si discedant post vota simplicia contra voluntatem Superiorum, fiunt apostatae, aeque ac Professi eodem modo fugientes.

Decimonono. Potestas liberandi a votis (non solemnibus) est penes solum Generalem.

Vigesimo. Admittendi ad Professionem potestas penes solum Generalem est, uti et ad alia vota Coadjutorum formatorum.

Vigesimoprimo. Vota solemnia Professorum et simplicia Coadjutorum fiunt in manibus alicujus ea admittentis ex parte Societatis vel ab ejus locum tenente, idque in formula horum

votorum exprimendum; non ita vota simplicia Scholasticorum, quae soli Deo fiunt, nullo ex parte Societatis ea admittente.

Vigesimosecundo. Vota Professorum et Coadjutorum formatorum scriptae Romam mittenda ad Generalem, non vero Scholasticorum.

Vigesimotertio. Vota simplicia Scholasticorum bis in anno renovanda, non sic alia.

Vigesimoquarto. Votis simplicibus emissis, si possideat aliqua bona antea vel postea adeat aliquam haereditatem, nec uti potest illis nec se iis abdicare pro libitu, sed cum certa dependentia et licentia Superiorum.

Vigesimoquinto. Societas non habet jus adeundi haereditatem suorum, qui eam ingrediuntur, nec tempore novitiatus, nec post vota ulla in ea emissa, uti adeunt alii Ordines post professionem suorum Religiosorum, exceptis Religiosis S. Francisci, quia renunciarunt huic juri.

Vigesimosexto. Coadjutores formati ad Professionem non admittuntur post sua vota simplicia.

Vigesimoseptimo. Professi trium votorum, etsi solemnium, non sunt in Societate praecipui, sicut Professi quatuor votorum. Ideo illi non possunt esse Provinciales, nec Assistentes, nec Admonitores Generalis, nec Vicarii Generalis, uti hi; nec ratione professionis habent jus ad Congregationes Provinciales vel Generales; ideo non possunt esse electores Generalis, nec mitti

ad Congregationes Procuratorum tanquam Procuratores.

Vigesimooctavo. Nemo e Societate debet nec potest quemquam invitare ad eleemosynas perpetuas Domibus vel ecclesiis Professorum relinquendas. Si aliqui sponte perpetuas eleemosynas Domibus vel ecclesiis Professorum relinquerent, nullum jus civile ad eas petendas in judicio acquiritur.

Vigesimonono. Pro missis, praedicationibus, confessionibus, lectionibus, vel quovis alio officio ex iis, quae Societas juxta suum Institutum exercere potest, stipendia vel eleemosynae non possunt postulari nec admitti.

Trigesimo. Nulla sit in ecclesia arca, in qua eleemosynae conjici solent ab iis, qui ad conciones, missas vel confessiones et reliqua spiritualia conveniunt.

Trigesimoprimo. In Collegiis sufficienter fundatis eleemosynae peti non possunt nec admitti.

Trigesimosecundo. Ut tum Generalis tum Superiores habeant suum admonitorem, a quo moneantur de iis, quae ad illorum personam et officium spectant.

Trigesimotertio. Generalis suos habeat Assistentes pro diversis nationibus et adjutores certos, certo modo eligendos a Societate tota, sine obligatione illorum consilium sequendi.

Trigesimoquarto. Superiores locales non solent habere tempus determinatum sui officii.

Trigesimoquinto. Bis quotidie conscientia examinanda.

Trigesimosexto. Exercitiorum spiritualium usus et traditio aliis.

Trigesimoseptimo. Puerorum ac rudium institutio in doctrina christiana, in Regulis Societatis praescripta et in Formula Professionis ac votorum formatorum Coadjutorum commemorata.

Trigesimooctavo. Litterarum humaniorum philosophicarum ac theologicarum traditio, in beneficium aliorum.

Trigesimonono. Contractus celebrandi potestas ad Collegia vel Domos Societatis spectantes est penes Praepositum Generalem, et ab eo ad inferiores emanare debet, sine capitulari conventu localium.

Quadragesimo. Procurator Generalis non debet esse Professus.

Quadragesimoprimo. Congregationi Generali nullum certum hactenus tempus statutum.

Quadragesimosecundo. Congregationes Provinciales tertio quoque anno habendae pro eligendo Procuratore Romam mittendo.

Quadragesimotertio. Post eas Romae Congregatio Procuratorum instituenda, juxta Formulam a Societate approbatam.

Quadragesimoquarto. Ad Congregationem Generalem tres e singulis provinciis mittendi, electi a Provincialibus Congregationibus.

Quadragesimoquinto. Domus probationis distinctae sint ab aliis domiciliis.

Quadragesimosexto. Domus et ecclesiae Professorum certos reditus habere non possunt, uti possunt reliqua domicilia, nec redditibus Collegiorum sustentari.

Quadragesimoseptimo. Monialium curam nostri habere non possunt, nec similium mulierum.

Quadragesimooctavo. In ratione conscientiae praeter alia etiam peccata aperienda sunt, quamvis ea reddatur extra confessionem sacramentalem.

Quadragesimonono. Posse alienos defectus extra confessionem et petitionem necessarii consilii manifestari Superiori, non praemissa privata correctione.

Quinquagesimo. Nullus ordo certus in consessu ad mensam vel alio tempore, sine respectu ad gradus et antiquitatem, praeterquam in Congregationibus.

Quinquagesimoprimo. Hora recreationis certa, post coenam et prandium, statuta pro omnibus.

Quinquagesimosecundo. Instrumenta musica in domiciliis nostris non servanda.

Quinquagesimotertio. Regulae omnium officiorum ex praescripto Constitutionum datae certis temporibus legendae et audiendae.

Quinquagesimoquarto. Certa sacra et aliae preces pro variis rebus praescriptae, certis temporibus Domino offerendae.

Quinquagesimoquinto. Certum meditationis tempus quotidie praescriptum omnibus.

Quinquagesimosexto. Superiores Societatis auditis suis Consultoribus non tenentur sequi eorum consilia.

Quinquagesimoseptimo. Tempus pro emittenda professione nullum determinatum, sed illud, quod Praepositus Generalis fore censuerit.

Quinquagesimooctavo. Non professi possunt esse et solent Collegiorum Rectores.

Quae omnia cum a S. P. N. Ignatio instituta sint, et fuerint ejus tempore et antea in religiosis Ordinibus inusitata, non potuit et ab iis discere et quasi mutuare. Ex altera parte, cum in se et suis sociis expertus sit perpetuas contradictiones et persecutiones omnis generis et conditionis hominum, ac difficultates a quibusdam novarum Religionum fundationem improbantibus, quas humana sola prudentia nixus magis timere poterat, si multas novitates in Societatem induceret, cum ergo eas induxerit, et quidem cum spe obtinendae a Sede Apostolica confirmationis, non potuit solis humanae prudentiae viribus eas invenire, sed debuit altiore lumine, et quidem supremi gradus prophetici illustratione, ad tam multas novas res instituendas doceri et moveri, praesertim ad quasdam directe contrarias praxi aliorum nobilissimorum Ordinum, magna auctoritate in Curia Romana et Apostolico Palatio, imo in tota Ecclesia flo-

rentium, quorum oppositionem metuere poterat, expertus, in rebus piis et usitatis eam antea se non semel passum. Cum autem Deus non soleat adhibere Angelorum ministerium nisi ad objecta sensibus repraesentanda et ad motionem variam phantasmatum in nostra imaginatione per objecta sensuum causatorum ut supra ostensum est, ideo Deus non est usus ministerio Angelorum, dum S. Ignatio res Instituti nostri revelaret, quia non erant in imaginatione S. Ignatii phantasmata rerum ab eo instituendarum, antequam eas instituisset; siquidem nec auditu nec lectione ea seu oculis perceperat, quippe non usitata, imo multa iis contraria videbat in aliis Ordinibus et audiebat. Ideo aequum fuit et necessarium, ut a Deo immediate, sine Angelorum ministerio, ista, quae instituit, cognosceret.

Dices primo: Esto, res novae fuerint institutae a S. Ignatio, poterant tamen eae per Angelos illi indicari, moventes ejus phantasmata, siquidem experimur nos, imaginari nobis species urbium, quas nullo sensu percepimus.

Resp. primo: Potuisset quidem Deus, si voluisset uti Angelorum ministerio, sed voluisse id eum, nobis non constat, sicuti constat de aliis revelationibus per Angelos inchoatis vel adjutis: quia id de S. Ignatio nemo asserit, sicut historici et Patres asserunt de quibusdam aliis.

Resp. secundo, posse nos quidem imaginari

urbes a nobis non visas, sed tales imaginationes sunt chymericas, discrepantes a veritate, Angeli autem, dum aliquid repraesentant, vere repraesentant. Non possunt autem per motum phantasmatum repraesentare res, quarum phantasmata non sunt in imaginatione ex sensuum objectis derivata vel illis similia; rerum autem S. Ignatio revelatarum non praecesserunt phantasmata, sed iis prorsus contraria, nam contraria S. Ignatius et legit et vidit et audivit esse in aliis Ordinibus. Et quamvis possent Angeli per antiqua phantasmata repraesentare nobis res similes, antea sensibus non perceptas, et ita S. Ignatio illa repraesentare potuissent, quae antea sensibus non perceperat, res tamen iis contrarias non poterant repraesentare, et quamvis potuissent, tamen repraesentasse eas nescimus, quia nullum hujus rei indicium habemus, habemus autem indicia contraria, supra explicata. (Cap. VI. Quoad tertium et sequ. Et c. IV ac V).

Dices secundo: Supra dictum est, Beatam Virginem apparuisse saepe S. Ignatio, dum scriberet Constitutiones, eas confirmantem. Atqui Angeli plus possunt agere in nostram imaginationem quam potest B. Virgo, quae in coelo existens et huc in corpore nunquam descendens, nil per se movere potest in imaginatione nec nostrum intellectum illuminare, uti possunt Angeli nobis intime sua substantia praesentes, dum nos illuminant, ergo per illos potius potuit

Deus S. Ignatium illuminare circa res nostri Instituti.

Resp. primo: Si ex historia aliqua fide digna haberemus, ita ab Angelo edoctum fuisse S. Ignatium de Instituto, sicut edoctum esse a B. Virgine scimus ex ipsius S. Ignatii testimonio, id quoque de Angelis crederemus, sed cum id nullus asseruerit et contrarium ex dictis pateat, non possumus aliud credere.

Resp. secundo, Beatam Virginem non revelasse S. Ignatio Constitutiones, sed scriptas et scribendas confirmasse, ab eo prius ex divino lumine conceptas.

Porro hanc confirmationem, si fuit facta per imaginariam visionem B. Virginis, potuisse adjuvari ministerio Angelorum, credimus, habent enim vim in humanam imaginationem, movendo ejus phantasmata. Sed si illa confirmatio fuit mere intellectualis, a Deo ipso immediate ob Beatissimae Virginis intercessionem causata, Angeli non potuerunt cooperari, ob causas toties supra dictas, et tunc illorum cooperatio non fuit necessaria.

Confirmantur dicta primo. Legimus in Processu Compulsoriali Toletano, auctoritate Sedis Apostolicae pro S. Ignatii canonisatione facto, in quo referuntur multae visiones ac lumina S. Ignatii, quae ei saepe contingebant scribenti nostras Constitutiones, commemoratas esse ab eo frequentes Dei revelationes et lumina de SS. Trin.

Personis et de ipsa divina essentia ut distincta a Personis, et de rebus nostri Instituti, de quibus deliberabat. Cum autem magis fuerint necessariae Ignatio revelationes de rebus Instituti, quod condebat et scribebat, quam de SS. Trinitatis mysteriis, de qua plenam et fidei notitiam habebat et celebrem illam illustrationem primo anno a sua conversione, relatam ab ejus vitae scriptoribus (Rib. l. I. c. 7. Maff. l. c. 7. Orl. l. I. n. 22. 27), si illae fuerunt ab ipso Deo immediate ei factae nec poterant proficisci ab Angelis, multo magis id possumus asserere de rebus nostri Instituti praecipuis, esse eas eodem gradu prophetici luminis mere intellectualis ei revelatas.

Confirmantur secundo dicta a simili: Extat revelatio facta S. Brigittae (l. VII. Rev. cap. 20) a Christo Domino, in qua inprimis de Regula S. Francisci a se inspirata, deinde de omnibus aliis Ordinibus sic ait: *Ita etiam omnes aliae Regulae, quas amici mei inceperunt, et ipsi personaliter tenuerunt et servaverunt, aliosque eas efficaciter docuerunt et porrexerunt, non fuerunt dictatae et compositae ab ipsorum intellectu et humana sapientia, sed aspiratione Spiritus S.* Quae etsi de Regulis, quae fuerunt ante tempus S. Ignatii dicta sint, tamen cum Societatis Institutum non minus quam alii Ordines fuerit S. Ecclesiae utile et in perfectione essentiali nullo sit inferius, spectabat ad suavem et beneficam Dei provi-

dentiam, ut nostrum Institutum quoad ejus propria non ab humana sapientia, sed a Spiritu S. doctrina et immediata revelatione proficisceretur.

Ex dictis sequitur monitum nobis, qui e Societate Iesu sumus, necessarium. Cum enim res nostri Instituti propriae, ut probatum est, a Deo sint revelatae, magni faciendae et servandae sunt. Nam, ut ait S. Basilius, *etsi praeclarae sint illae leges, quas reges moderandae suae reipublicae, nimirum subjectis sibi populis, praescribunt evulgantque, prae his tamen nescio quid augustius et regia majestate dignius obtinent ea, quae illi ipsi edicta suis observanda militibus denunciant.* Societas autem nostra Iesu Christi militia est appellata ab Apostolica Sede, ideo sub Duce Iesu, capite hujus militiae, observanda et magni facienda sunt a nobis ea omnia, quae per Capitaneum vel Colonellum suum Ignatium, ab ipso revelata nobis tradidit. Quamobrem etiam grato animo colere debemus hunc Dei favorem. Nam, ut ait S. Chrysostomus: *Magnus honor est, dum Deus legem dat non per aliquem famulum, non per Angelum et Archangelum, sed per se ipsum; duplici honore hominem afficiens, et quia legem dederit, et quia dederit per se ipsum.*

CAPUT VIII.

Qua ratione S. P. N. Ignatius cum primis Patribus deliberaverit Romae de Societate instituenda.

Quamvis hujus rei descriptam legamus historiam apud Ribadeneyram, Maffeium et Orlandinum [1]), non abs re erit simpliciore stylo et clariore eandem hic referre, descriptam ab uno ex illis primis Patribus, qui huic deliberationi interfuit, et suis ipsis verbis hanc rem totam latine scriptam reliquit. *Anno 1538 proxime elapsa quadragesima, cum instaret tempus, in quo oporteret nos ab invicem dividi ac separari, quod etiam summis desideriis expectabamus, ut citius ad praefixum et praecogitatum a nobis finem vehementerque desideratum perveniremus, decrevimus per multos ante seperationem dies inter nos convenire et tractare invicem de hac nostra vocatione ac vivendi formula. Quod cum pluries fecissemus atque ex nobis essent Galli, alii Hispani, alii Sabaudi, alii Cantabri, in varias sententias ac opiniones circa hunc nostrum statum scindebamur, eratque una omnium nostrum et communis mens et voluntas, quaerere semper Dei beneplacitum ac perfectam voluntatem juxta scopum vocationis nostrae. Verum in me-*

[1]) Ribad. lib. II c. 13. Maff. lib. II c. 4. Orland. lib. II n. 58 sequ.

dies expeditioribus et fructuosioribus tam nobis quam ceteris proximis nostris erat aliqualis pluralitas sententiarum. Nec mirum cuipiam videri debet, quod inter nos infirmos ac fragiles haec pluralitas sentiendi intervenerit, cum etiam ipsi persanctae Ecclesiae Principes ac columnae Apostoli aliique plurimi quam perfectissimi viri, quibus nos indigni sumus, ut cum illis vel ex longinquo conferamur, diverso, interdum etiam adverso modo inter sese senserint, et sententias suas contrarias scripto tradiderint. Cum ergo etiam nos varie quoque judicaremus sollicitique essemus ac vigilantes, ut aliquam viam plene apertam inveniremus, per quam incedentes nos ipsos omnes in holocaustum offerremus Deo nostro, in cujus laudem, honorem ac gloriam cedent omnia nostra, tandem decrevimus et concordi sententia statuimus, orationibus et sacrificiis et meditationibus ferventius solito instare, et post adhibitam a nobis qualemcunque diligentiam de reliquo jactare omnes cogitatus nostros, sperantes in eum adeo bonum et liberalem, quod sicut nulli petenti se in humilitate et simplicitate cordis denegat Spiritum bonum, imo dat omnibus affluenter, nulli improperans, nullo modo etiam defuturum nobis, imo affuturum, quae sua est benignitas, superabundantius quam petimus aut intelligimus.

Coepimus igitur humanos nostros conatus impendere et proponere inter nos aliquot dubia, diligenti ac matura consideratione et providentia digna, de quibus per diem cogitare ac meditari ac per ora-

tionem etiam investigare solebamus, et nocte quisque hoc, quod rectius et expedientius judicaverat, in medium proponebat, ut sententiam magis veram et plurium calculis et efficacioribus rationibus examinatam amplecteremur. Prima nocte, qua convenimus, propositum fuit hoc dubium: An expediret magis, postquam nos vitamque nostram Christo Domino nostro et ejus vero ac legitimo Vicario in terris obtuleramus et dedicaveramus, ut ille de nobis disponat mittatque eo, ubi plus judicaverit nos posse fructificare, sive sint Indi, sive haeretici, sive alii quicunque infideles sive fideles, an, inquam, magis expediret, nos ita esse inter nos devinctos et colligatos in uno corpore, ut nulla quantumque magna corporum divisio nos separaret, an forte non ita expediret? Quod, ut exemplo fiat manifestum: Ecce modo Summus Pontifex mittit ex nobis duos in civitatem Senarum, debemusne illorum, qui illuc pergent, curam gerere, ut illi de nobis, et mutuo nos intelligere? An forte non magis illos curare quam illos, qui sunt extra Societatem? Tandem definiverimus partem affirmativam, scilicet quod, postquam Clementissimus ac Pientissimus Dominus dignatus fuerit nos ita infirmos et ex tam diversis regionibus et moribus natos, invicem unire et congregare, quod non deberemus Dei unionem et congregationem scindere, sed potius in dies confirmare et stabilire, reducendo nos ad unum corpus, et alii aliorum curam habentes et intelligentiam, ad majorem fructum animarum, cum etiam virtus ipsa unita plus robo-

ris et fortitudinis habeat ad quaecunque bona ardua prosequenda, quam si esset in plures partes dispersa. In his tamen omnibus, quae dicta sunt quaere dicentur, ita intelligi volumus, uti nihil penitus ex proprio nostro spiritu et capite asseramus, sed solum, quidquid id sit, quod Dominus inspiraverit et Sedes Apostolica confirmaverit ac approbaverit.

Deciso et resoluto primo hoc dubio, perventum est ad aliud difficilius, non minori consideratione ac providentia dignum: An scilicet postquam nos omnes emiseramus votum castitatis perpetuae et votum paupertatis in manibus Reverendissimi Legati Suae Sanctitatis, cum ageremus Venetiis, an, inquam, expediret emittere tertium, scilicet obediendi alicui ex nobis, ut sincerius et majori cum laude et merito possemus per omnia implere voluntatem Domini Dei nostri, sicut etiam liberam voluntatem ad praeceptum Suae Sanctitatis, cui nos libentissime nostra omnia, voluntatem, prudentiam, intellectum etc. obtuleramus? Ad hujus dubii solutionem, cum multis diebus orationi instaremus et cogitaremus, nihilque occurreret, quod impleret animos nostros in Domino sperantes, coepimus inter nos agitare aliqua media ad melius solvendum dubium; et primo: An expediret, omnes nos ad eremum aliquam secedere, ibique manere per triginta vel quadraginta dies, meditationibus, jejuniis et poenitentiis vacantes, ad hoc, quod Dominus exaudiret desideria nostra dignareturque mentibus nostris solutionem du-

bii infigere? An vero tres vel quatuor omnium nomine eo pergere deberent ad eundem effectum? An vero, si nulli in eremum essent ituri, quod intra urbem manentes, mediam diei partem huic uni nostro negotio applicaremus, ut meditationi, cogitationi et orationi esset commodior et amplior locus, et reliquam diei partem solitis nostris exercitiis praedicandi et confessiones audiendi impenderemus? Tandem his discussis et examinatis statutum, quod omnes maneremus intra urbem, duabus praesertim de causis. 1. Ne fieret rumor et scandalum in civitate et in populo, qui judicaret ac putaret, (quae solita est hominum in judicando temerarie pronitas) nos vel fugam cepisse, vel aliquid novi moliri, vel parum firmos esse et constantes in semel caeptis. 2. ne iterum per absentiam jactura fieret fructus, quem tunc magnum videbamus fieri in confessionibus, praedicationibus et aliis spiritualibus exercitiis, et adeo magnum, quod, si fuissemus in numero quadruplo plures quam eramus, non poteramus omnibus, sicut nec modo, satisfacere. Secundum, de quo coepimus agitare ad inveniendam viam solutionis, fuit proponere omnibus et omnium cuilibet tres sequentes animi praeparationes: Prima est, quod unusquisque ita se praepararet, ita orationibus, sacrificiis et meditationibus vacaret, ut niteretur in invenicndo gaudium et pacem in Spiritu Sancto circa oboedientiam, quantum ex se est, laborans habere voluntatem magis affectam ad obediendum quam ad praecipiendum, ubi par Dei gloria et suae Majestatis laus sequeretur. Secunda

animi praeparatio est, quod nullus ex Sociis apud alterum Socium hac de re verba faceret vel quaereret ab eo rationes et nulla alterius persuasione alius traheretur et flecteretur magis ad obediendum quam ad non obediendum, vel contra, sed quod unusquisque id solum quaereret, quod ex oratione et meditatione tanquam expedientius hausisset. Tertia, quod quilibet reputaret se ipsum alienum ab hac nostra Congregatione et in quam nunquam expectaret recipi, et ex hac consideratione nullis prorsus affectibus ferretur ad magis ita opinandum et judicandum, sed quasi alienus, libere proferat suam sententiam in medium circa propositum obedienti vel non obedienti, vel saltem eam partem suo judicio confirmet ac probet, per quam credit majus futurum Dei servitium et tutiorem Societatis conservationem permansuram. His praeviis dispositionibus ordinavimus, quod die sequenti omnes praeparati accederemus dicturi quilibet ea omnia incommoda, quae fieri possent contra obedientiam, omnes rationes, quae occurrebant, et quas quisque nostrum separatim cogitando, meditando, orando, invenerat. Et quilibet ordine suo proferebat, quae hauserat. Exempli gratia dicebat unus: Videtur, quod hoc nomen Religionis seu obedientiae non ita bene audit in populo christiano propter demerita et peccata nostra, sicut audire debuisset. Alius vero dicebat: Si volumus vivere sub obedientia, cogemur forte a Summo Pontifice sub alia Regula jam facta et constituta vivere, quo fieret, ut non ita daretur opportunitas et locus

operandi circa salutem animarum, cui uni rei post nostram ipsorum curam intendimus, frustrarentur omnia desideria nostra, judicio nostro Domino Deo nostro accepta. Item alius: Si praestamus oboedientiam alicui, non tot ingredientur in Congregationem nostram ad laborandum fideliter in vinea Domini, in qua, cum tanta sit messis, pauci tamen inveniuntur veri operarii, et plures (quae hominum est infirmitas et fragilitas) magis quaerunt, quae sua sunt et voluntatem propriam, quam quae Iesu Christi et plenam sui negationem. Item alius alio modo, et ita quartus et quintus, enarrans incommoda, quae contra oboedientiam occurrebant.

Alia vero die proxime sequenti disputabamus in contrarium, adducentes in medium omnia commoda et fructus ipsius oboedientiae, quos quisque ex oratione et meditatione hauserat, et quilibet suo ordine proferebat meditata, modo deducendo ad impossibile, modo simpliciter et affirmative agendo. Exempli gratia aliquis ita deducebat rem ad absurdum et impossibile: Si Congregatio haec nostra absque suavi obedientiae jugo haberet curam rerum agibilium, nullus haberet curam exactam, cum unus in alterum hoc onus rejiceret, ut plures experti sunt. Item, si haec Congregatio esset sine oboedientia, non diu posset permanere et perseverare, quod tamen pugnat contra primam nostram intentionem conservandi perpetuo nostram Societatem. Cum erga nulla re magis conservetur Congregatio aliqua quam oboedientia, videtur nobis necessaria, maxime nobis, qui vo-

vimus perpetuam paupertatem et versamur in assiduis et jugibus laboribus, tam spiritualibus quam temporalibus, in quibus minus conservatur Societas. Affirmative dicebat alius sic: Oboedientia parit actus et virtutes heroicas etiam continuas; nam qui virit vere sub oboedientia, est promptissimus ad exequendum, quaecunque sibi injungerentur, sive illa essent difficillima, sive confusionem et risum et spectaculum mundo generantia, ut verbi gratia, si injungeretur mihi, quod ego incederem nudus vel indutus vestibus insuitatis per vicos et plateas, quod licet nunquam praecipiatur, dum quisque tamen est paratissimus ad illa facienda, negando proprium judicium et omnem suam voluntatem, ille esset semper in actibus heroicis et meritum augentibus. Item nihil ita prosternit superbiam omnem et arrogantiam quam oboedientia: Nam superbia magni facit et sequitur proprium judicium et propriam voluntatem, nulli cedens, ambulans in magnis et in mirabilibus super se, contra vero per diametrum pugnat obedientia, semper enim sequitur judicium alienum et voluntatem alterius, omnibus cedit et humilitati, quae inimica est superbiae, quam maxime sociatur, et quanquam nos Summo Pontifici ac Pastori donaverimus omnem oboedientiam tam universalem quam particularem, tamen circa particularia nostra et contingentia, quae sunt innumera, non poterit, nec si possit deceret illum, vacare.

Postquam ergo multis diebus plurima hinc et inde agitavimus, circa solutionem dubii pensando et

examinando rationes gravioris momenti et efficaciores, vacando exercitiis solitis orationis, meditationis, cogitationis, tandem Domino praestante auxilium, non per plurium vocum sententias, sed nullo prorsus dissentiente conclusimus, nobis expedientius esse et magis necessarium praestare oboedientiam alicui ex nostris, ut melius et exactius prima nostra desideria implendi per omnia divinam voluntatem exequi possemus, ut tutius conservetur Societas, et tandem, ut negotiis occurrentibus particularibus, tam spiritualibus quam temporalibus, decenter provideri possit, servato simpliciter eodem ordine discutiendi et procedendi in reliquis omnibus, semper in utramque partem agendo, immorati sumus in his et aliis per tres fere menses, a medio quadragesimae usque ad festum S. Ioannis Baptistae inclusive. Quo die omnia suaviter et concordi animorum consensu terminata ac finita sunt, non sine magnis vigiliis, orationibus et laboribus mentis et corporis praemissis, antequam haec et deliberaremus et definiremus.

LIBER SECUNDUS.

De favoribus Coelitum et aliorum erga Societatem et de accusationibus contra eandem.

CAPUT I.

De magnis Dei favoribus erga Societatem Iesu.

Cum hoc Opusculum scribam etiam ad juvandos eos, qui Societatem nostram ingredi cupiunt, et sciam, a multis multa contra illam plena calumniis esse vulgata ac in dies verbo et scripto vulgari, ejusque Institutum ac vivendi rationem et agendi a plurimis injuriose carpi, (quomodo non carpuntur alii Ordines Regularium) unde contingit, non paucos a Societate nostra alienari, ut ii, quos Deus ad hanc Societatem vocat, habeant necessaria antidota, et ex coelitum et aliorum Sanctorum contrariis judiciis ac testimoniis irrefragabilibus malevolorum judicia et dicta et scripta agnoscant esse a veritate aliena, adferam aliqua in medium, quae aspirantes ad nostrum Institutum et illud amantes solari possint pravamque de illo persuasionem, si quae forte inhaesit alicui, evellere.

Nam, ut ait S. Augustinus: *Nobis est necessaria vita nostra, aliis fama nostra* [1]). Non recensebo omnia, quae scio, ne justo sim longior, sed ea tantum, quae ad meum sat fore propositum judicavero, excerpta partim ex libris cum Superiorum ecclesiasticorum auctoritate et approbatione impressis, partim ea, quorum rerum gestarum memoria mihi suggeret certam notitiam; partimque verax relatio fide dignissimorum omnique exceptione majorum testium mihi suppeditabit, cum quibus familiariter vixi per annos quinquaginta, quos Dei beneficio in Societate nostra pridem exegi. Inter quos fuere circiter triginta, qui vel familiares vel discipuli S. P. N. Ignatii fuerunt, ab eo in Societatem recepti et in religiosa disciplina instituti.

Inprimis offert se mihi id, quod impressum est in Imagine primi saeculi Societatis nostrae, anno 1640 edita Antverpiae [2]), quod multis annis ante eam impressam a magnis didiceram auctoribus, et descriptum in meis Collectaneis habebam. *Cum quidam decumberet ex quodam Ordine, vir sanctissimus, et prope jam abesset a morte, spiritu tamen compos et potens, esset que jam eo loci et temporis, in quo, commonstrante praesertim Domino, ipsa veritas et videtur clarius et liberius indicatur, jubet, cum prius aliquantulum immotus*

[1]) S. Aug. De bono viduit. c. 22. (M. P. L. 40, 448).
[2]) Imago primi Saeculi Societ. pg. 676.

animo velut libero prospexisset aeterna, vocari ad se Barcinonensis Proregis Confessarium, P. Matrezium, e Societate Iesu religiosum Sacerdotem, quem vixdum ingressum in conclave decumbentis aeger ipse magna alacrique voce quasi gratulabundus aggreditur. Felicem te, inquit, o Pater, cui contigit Sociam esse ejus Ordinis, in quo quicunque decedit, vita fruitur sempiterna. Haec mihi jam nunc Deus ostendit, haec palam nunciare omnibus mandavit. Haerebat hic Noster admiratione defixus, eumque tam singulare visum prohibente verecundia non auderet admittere et parem minimum felicitatem datam augurarctur ipsius aegri Instituto (quod erat rigidissimae etiam tum et incorruptissimae disciplinae), addidit aegrotus dixitque cum gemitu, servari quidem ex suo Ordine quam plurimos, sed non omnes, ipsius autem Societatis omnes omnino ac singulos, ad mortem usque in ea si constiterint, esse servandos [1]). Vera illum dixisse de suo Ordine religiosissimo et sanctissimo, patet ex Annalibus impressis illius Ordinis, ab ejusdem Ordinis historico editis et ab ejus Generali aliisque approbatis, quos accurate perlegi, et passim circumferuntur venales. Quid autem sentiendum sit de Nostrae Societatis hominibus, nobis etiam constat ex divina revelatione B. Francisco Borgiae facta, quae in eadem „Imagine“ describitur. Sed

[1]) Bover. Ann. tom I pg. 650 n. 37 pg. 680 n. 2 pg. 685 n. 16. 18 pg. 849 n. 26 tom. II pg. 655 n. 29 pg. 776 n. 68. Imago lib. V c. 8 pg. 650.

cum viginti quatuor annis ante impressam hanc „Imaginem“ Romae hoc ipsum certissime rescriverim, necessarium duco, pro solatio nostrorum amicorum et nostrorum tyronum, hanc ipsam rem penitius enarrare [1]).

Cum die quodam B. Franciscum Borgiam, tunc nostrae Societatis Praepositum Generalem tertium, post absolutam meditationem matutinam, de more adisset ejus Socius Michael Marcus (qui ei a S. Ignatio valetudinis tuendae gratia comes erat additus, cum potestate ei imperandi, si vel in oratione vel in maceratione corporis excederet), invenit B. Borgiam rara et antea insolita laetitia gestientem. Miratur rei novitatem Marcus, sciscitari coepit causam tantae laetitiae. Sed B. Borgia rem silentio premebat, haec tantum ingeminans: *O si scires, Marce; o si scires, quantopere Deus amet nostram Societatem.* Hoc audito Marcus tanto ardentius institit, sibi rem ut patefaceret. Cumque urgeret B. Borgiam importunius, tandem extorsit. *Scias*, inquit B. Borgia, *Societati nostrae hoc privilegium esse concessum, quod concessum esse dicitur Ordini S. Benedicti, primis aliquot centenis annis in eo nullum damnatum iri, sed omnes salvandos, qui in eo mortem oppeterent. Hoc Societati concessum esse mihique a Deo revelatum.*

---

[1]) Rib. Vita S. Fr. Borg. lib. IV c. 3. Schott. lib. IV c. 3 n. 8 c. 4 n. 7.

Hanc revelationem postea Michaël Marcus narravit Barcinone P. Vincentio Madresio, mihi bene ante 40. annos noto, Confessario Proregis Cataloniae, Ducis de Monteleone Neapolitano, P. vero Vincentius Madroseus hoc ipsum se a Michaële Marco audivisse narravit P. Ferdinando de Pontze, et is mihi Nicolao Lancicio, ita ut scripsi, retulit Romae anno 1616. 17. Febr., tunc Provincialis existens Baeticae Provinciae, dum ambo essemus ad eligendum Praepositum Generalem ad septimam Congregationem Generalem ex nostris provinciis missi, statimque, ne res memoria excideret, hanc historiam in libro quodam meorum Collectaneorum descripsi; quinimo hanc ipsam narrationem hispanica lingua pulcherrime descriptam vidi et legi, positam in Breviario ejusdem P. Fernandi Pontze, uti et alteram revelationem, factam nostro Fratri Alphonso Rodriguez anno 1599 de salvandis omnibus illis, qui tunc in Societate vivebant, si in ea morerentur. Vivebat autem adhuc tunc Alphonsus, quippe anno sequenti 1617. mortuus.

Nec dubito de veritate rei, tum propter auctoritatem et fidem personarum, a quibus haec narratio manavit et ad nostram notitiam pervenit, tum quia scio, quanta vitae integritate moriantur in Societate ii, qui in ea moriuntur; tum quia praedictum est a S. P. Ignatio Fundatore, Societatem nostram posterioribus tem-

poribus fore meliorem quam suo tempore fuerit, (etsi bona fuerit), et homines in ea majori perfectione praeditos futuros. Quod hinc didici.

Legi in Processu Bruxellensi auctoritate Sedis Apostolicae facto pro canonisatione S. P. N. Ignatii, folio. 18, testimonium jurejurando confirmatum P. Oliverii Manaraei Belgae (qui sub S. Ignatio fuit Rector Collegii Romani et postea primus Lauretani, et post Sancti Ignatii mortem variarum Societatis provinciarum Provincialis et Visitator, et Assistens Societatis ac ejus Vicarius Generalis), in quo testimonio Pater Oliverius a Comissariis Apostolicis rite examinatus, *an B. P. Ignatius habuerit donum Prophetiae?* respondit, habuisse, idque sic probat: *Audivi,* inquit, *de futuro Societatis statu triplici ex Patre Ludovico Gonzalez, ei dictum a S. P. Ignatio, quod nimirum primus status Societatis fuisset satis bonus, secundus melior esset futurus, tertius adhuc multo praestantior. De secundo sibi testi constat, quod fuit et est etiamnum melius ordinatus quam erat tum temporis; quia nondum erat noviciatus et probationes ac exercitationes, quae secutae sunt, et nunc, Deo laus, vigent et in viridi sunt observantia.*

Porro dictus Pater Ludovicus Gonzalez quantae auctoritatis fuerit, dixi supra libro I. capite I.

Huic narrationi similia a Patre Hieronymo Natali, publice id referente, se audivisse scribit

in primo suo libro secreto (in quem retulit coelestes illustrationes et gratias sibi gratis datas) Pater Iulius Mancinellus, in vita et post mortem fama sanctitatis et miraculorum gloria clarus. In eo ergo libro (pagina 63) haec scribit manu propria: *Dictum esse Patri Natali a Beato Patre Ignatio: Post nos primos futuri sunt in Societate homines majoris perfectionis; idque Beatum Patrem dixisse, cum interrogaretur, utrum remitteretur fervor in Societate.* Hoc ipsum in alio libro suarum exhortationum, quem mihi, uti et primum illum, donavit ante mortem dictus Pater Iulius, scripsit, multis ostendens, Societatem in suo bono statu semper duraturam, idque confirmat sua manu his verbis scriptis: *Ratione supernaturali idem patet ex divina revelatione facta Beato Patri Ignatio. Dixit enim ipse, corrigens quendam Patrem, qui dubitabat defuturum fervorem in Societate, quod postea venient in Societatem homines, qui erunt perfectiores primis. Et quemadmodum vere dixit, praedicendo, futura Romae et Parisiis maxima Collegia, sic etiam in hoc verum dixisse, sperare in divino favore debemus.* Haec Pater Mancinellus. Quantae auctoritatis autem Pater Hieronymus Natalis fuerit, ostendi supra libro I. capite I.

Huic praedictioni S. Ignatii conformis est similis divina praedictio, facta de Societate nostra a Sancta Teresia, infra adferenda *de magno profectu, quem debet facere Societas temporibus ul-*

timis. Ideo merito Pater Franciscus Costerus, Sancti Ignatii discipulus, dum essem Romae, anno 1600, dixit Papae Clementi VIII. coram aliis Patribus Procuratoribus totius Societatis, qui tunc Romam pro more convenerant, *se nosse utrumque tempus Societatis, cum a Patre Ignatio in eam receptus sit; affirmare se tamen, modo Societatem multo melius esse constitutam et in perfectione proficientem, quam fuerit eo ipso tempore Patris Ignatii. Quod etiam modo ex ipsa inspectione, quae fuit illi demandata tanquam Visitatori in Provincia Flandriae, advertisse se magna sua voluptate.*

Non debet ergo videri mirum, quod legitur in supradicta Imagine Societatis, *Sanctam Teresiam Cordubae existentem, a SS. Sacramenti communione in coelum et in Deum mente suspensam, vidisse e purgantibus flammis animas, quae magno numero et gratulatione festiva ferebantur et recipiebantur in coelum. Ducebat reliquas una formosior, et hanc etiam unam prae omnibus Iesus Christus, inter angelicarum mentium Ordines factus obviam, suo dignabatur amplexu, in signum benevolentiae singularis et amicitiae sempiternae. Haerebat Virgo Teresia, hinc suavissimo recreata spectaculo, inde non satis intellecto prodigio consternata; audet igitur interpellare animam de posterioribus unam, et*

[1]) Imag. primi saeculi pg. 648, 649. Ex relatione P. Crisoelli a. 1613, 13 Ian. facta.

peteret, quaenam ipsae forent, ac praesertim quae ipsarum dux, illa tam accepta Deo. Cui ipsa breviter: Dux noster est ex Societate Iesu Frater unus, nos duci gratulamur, cujus virtuti ac precibus debemus, quod hodie liberemur. De Omnipotentis adventu nil mirum, nil novum; scilicet hoc est hominum Societatis Iesu privilegium, ut mortuum Iesuitam obvius Iesus excipiat. Obierat vero eo ipso puncto temporis quidam sociorum Iesu Coadjutor, Cordubensis ecclesiae nostrae aedituus, qui annis plus minus 30 sacro hoc perfunctus officio, ut erat sui observator et custos ac pietatis religiosae sectator egregius, 100 amplius Virgines, quae ex proposito pio divino cultui sunt vocanturque devotae, destinguebat omnes audita voce, sed nullam penitus earundem de facie noverat [1]).

Eundem Domini Iesu erga Societatem suam favorem agnovit divinitus nobilissima et magna sanctimoniae laude celebris Virgo Neapolitana Ioanna ab Alexandro. Haec dum in templo veteri nostri Neapolitani Collegii ejusque sacello Christo crucifixo dicato oraret, vidit totum sacellum repente illustratum et super ejus altare thronum aureum, cui insidebat Christus Dominus, circumdatus a quatuor Angelis. Quo viso cum oculos clausisset, nihilominus tamen haec omnia mente videbat. Cumque se Beatissimae Virgini et Angelo custodi commendasset, vidit

[1]) Simile exemplum refert S. Teresia in vita sua 40.

Beatissimam Virginem miro splendore radiantem, veste candidissima auro variegata indutam, pallio coloris caerulei adamantibus pleno amictam, et prope Deiparam videbat B. Ignatium, tunc nondum in Beatorum catalogum relatum, facie splendidissima micantam, veste candida, rubinis maximis et perfectissimis distincta et omni ex parte opere phrygio elaborata indutum, praecinctum cingulo coccineo adamantibus magni pretii pleno et in medio habente ingentem saphyrum, mire sua pulchritudine recreantem, accedentem ad Christum Dominum et provolutum ad ejus genua ei totam Societatem offerentem, facto initio ab ejus Praeposito Generali, qui tunc erat P. Claudius Aquaviva. Quorum singulos cum Christus Dominus vultu valde laeto recepisset, et vulnus lateris apertum singulis monstrasset, sic Ioannam pro Societate supplicantem alloqui dignatus est: *Scias, filia mea, mihi esse summe gratum hoc, quod a me petis, et desidero, ut quaevis persona amet illos et ab illis spiritualia quaerat auxilia, quia mea Societas est, quam semper teneo intra cor meum, et ferre non possum, ut in ea sit notabilibus defectibus laborans, ideo volo tales subito e mea Societate dimitti; quod pro eorum, qui in ea perseverant, bono permitto. Scias quoque, filia, me velle hanc Societatem meam sic appellari, quamdiu mundus durabit, et volo, mea ut imitetur vestigia, et ut potissimum coeca obedientia in ea vigeat. Deinde, conver-*

sos ad suam benedictam Matrem, donabat ei tanquam ejus filios omnes illos e Societate, eorum ut peculiarem curam haberet. Hanc visionem vivente adhuc Ioanna descripsi Romae ex scripto quodam P. Ludovici Mansoni, Provincialis Neopolitani, qui cum Romam excurrisset ob quaedam negotia ad Admodum R. P. Claudium Aquavivam, illud secum attulerat et mihi accommodaverat.

His adnectam pulcherrimam revelationem concernentem Societatis spiritum et statum, factam Florentiae anno 1599. 26. Decembr. Beatae Mariae Magdalenae de Pazzis, Carmelitanae de observantia, ab Urbano VIII. in Beatarum Virginum catalogum adscriptae anno 1627 et in Martyrologio Romano 25 Maii (quo die obiit, anno 1607) repositae, ac concesso Officio divino et Missa in ejus honorem, dicenda in templis PP. Carmelitarum die ejus obitus, honoratae. Quam quidem revelationem seu visionem adhuc vivente hac Beata Romae descripseram ex scripto quodam allato a P. Bernardino Rossignolio, nostro Provinciali Romano, dum Florentia Romam rediisset, examinato et approbato a se spiritu hujus Sanctae Virginis. Quam visionem multis annis post obitum hujus Beatae Virginis, ad perpetuam rei memoriam et nostrum solatium ac instructionem, curavi authenticari et ex libro monasterii, in quo haec sancta Virgo, integrum adhuc corpus retinens, quiescit, ad ver-

bum describi, subscriptam ab Illustrissima et Excellentissima illius monasterii Priorissa, Sorore Innocentia Barberina, nepte moderni Pontificis Urbani VIII, nunc Romam ad fundationem novi monasterii sui Ordinis a Sanctissimo translata, ibique manente, a qua ipsamet sigillo sui monasterii obsignato mihi in Bohemiam ante aliquot annos missa est, et postea, cum ante aliquot annos spoliatus fuissem in itinere quodam omnibus meis scriptis a praedonibus, hoc etiam scripto authentico privatus aliud simile petii et impetravi, missum mihi ab altera ejusdem monasterii Priorissa, Maria Ioanna Pazzia, ejusque propria manu et Sororis Mariae Magdalenae Riccardi ac Catharinae Angelae Martelli subscriptum et sigillo illius monasterii obsignatum, anno 1648. 28. Febr., penitus concordans in omnibus priori illi scripto et illi, quod Romae sex circiter annis ante mortem B. Mariae Magdalenae descripseram. Hoc scriptum italicum est tale, quod paulo post reddam latine:

Adi 26. di Decembre 1559, il giorno di S. Stefano, la Beata Maria Magdalena andò in Ratto, la sera al tardi, e vedeva, come Iddio in Cielo si compiaceva e dilettava tanto nell' anima di san Giovanni Evangelista, che in modo di dire, non pareva haversi altri santi in paradiso. E in simil modo vedeva, che esso Dio si dilettava nell' anima del Beato Padre Ignatio Fondatore della Compagnia di Giesu. Onde diceva, parlando forte: Lo spi-

rito di Giovanni e quel d' Ignatio e il medesimo, per che tutto è amare, è condurle ad amare: e intendeva, che Dio si dilettava e compiaceva tanto in questi due santi, perche il loro scopo e fine fu l' amore e carita; e per via d' amore e in carita tiravano le creature a Dio (Disse poi queste altre parole). Il piu felice spirito, che regni hoggi in terra, è quel d' Ignatio, perche i suoi figlioli, nel condurre l' anime a Dio procurano principalmente di dar notitia, quanto è grato a esso Dio, e quanto importa, attendere all' opere interne e trattare internamente con Dio; perche questo esserczizio fa abbracciare con facilità le cose ardue e difficili, per il lume che riceve l' anima, da quale renasce l' amore, che converti in dolczza ogni amaritudine. Vedera questa benedetta anima, che tante quante volte i figli del Beato S. Padre Ignatio trattavano in terra con l' anime in tal modo, tante volte in cielo renovarano a Dio il compiacimento e diletto che prendeva nell' anima del Beato Padre (Disse, ancora stando pure in ratto). Ben puo rallegrarsi e godere il nostro pellicano, poiche si è condotta a quel tempo, che si e tanto bramato, di vedere pullulare nella Religione nostra le primizie dello spirito d' Ignatio. Intendendo per detto pellicano la Madre Priora, che si ritrovava all' ora in quel tempo. Porro latine sic se habet.

Die 26. Decembris Anni 1599. die S. Stephani B. Maria Magdalena, raptum passa vesperi tarde, videbat, Deum complacere sibi et delectari adeo in

anima S. Ioannis Evangelistae, ut quodammodo non viderentur esse alii Sancti in coelo; et simili modo videbat, Deum delectari in anima B. Patris Ignatii, Fundatoris Soctetatis Iesu. Unde dicebat loquendo fortiter: Spiritus Ioannis et ille Ignatii est idem, quia totus est amare et conducere ad amandum. Et intelligebat, Deum ideo delectari et complacere sibi adeo in his duobus Sanctis, quia illo-illorum scopus et finis fuit amor et charitas, et per viam amoris et in charitate trahebant creaturas ad Deum. Dixit postea haec verba: Maxime felix spiritus, qui regnat hodie in terra, est ille Ignatii, quia ejus filii in conducendis animabus ad Deum procurant principaliter dare notitiam, quantopere sit gratum ipsi Deo, et quantum intersit attendere operibus internis, et tractare interius cum Deo; quia hoc exercitium facit amplecti cum facilitate res arduas et difficiles, propter lumen, quod recipit anima, ex quo nascitur amor, qui convertit in dulcedinem omnem amaritudinem. Videbat haec benedicta anima, quod toties quoties filii B. Patris Ignatii tractabant in terra cum animabus tali modo, toties in coelo renovabant Deo complacentiam et delectationem, quam percipiebat in anima B. Patris. Dixit etiam manendo quoque in raptu: Bene potest laetari et gaudere noster Pellicanus, quia conducta est ad illud tempus, quod tantopere desiderabatur, videndi pullulare in Religione nostra primitias spiritus Ignatii; intelligendo per dictum pelli-

eanum Matrem Priorissam, quae tunc reperiebatur in illo tempore.

Possunt ergo secure Societati Iesu se devovere ii, qui ad illam divinitus vocantur, tali spiritu et statu florentem, ut et ipsi, more Ignatii tractando cum aliis (quod possunt facere in quovis Societatis ministerio) et conducendo per viam amoris animas ad Deum, *renovent Deo complacentiam et delectationem, quam percipit in anima S. Ignatii*, ut hac ratione, quemadmodum faciendum nobis esse docet S. Augustinus, *delectent Deum*[1]) et quodammodo habeant sibi obligatum Deum. quod sint causa illius complacentiae et delectationis, quam suprema illa Majestas percipit ex dulci et suavi modo tractandi animas, ab ea creatas et redemptas inaestimabili pretio sanguinis divini.

Hujus divini erga Societatem nostram favoris hoc quoque argumentum clarissimum est, quod aliquos ad eam miraculose vocare dignatus sit modis extraordinariis.

Si vocavit Adalbertum Bausech, qui cum anno 1556 extremo in templo Collegii Pragensis preces ad Deum funderet, *Dominus Iesus pueri venustissimi specie in sacrosancta hostia ei apparuit, rogantique, quid ab se vellet Dominus: Volo, ut ibi sis, ubi es. Quae Adalbertus de ingredienda Societate interpretatus et receptus divi-*

[1]) S. Aug. De util. jejun. c. 5. (M. P. L. 40, 711).

num visum non statim, sed paulo post, consolaturus propinquos, qui negotium ei facessebant, aperuit, vitamque in Societate vocationi divinae consentaneam usque ad extremum peregit [1]).

Sic Didacus Sanchez Hispanus, *dum ei suadet Gregorius XIII, ut Societati nomen det, dum certius divinae vocationis indicium desiderat, ad S. Petri templum Romae se confert coram Sanctissimo Sacramento et Deum orat, ne se sinat incertum haerere. Res mira, allapsa e tabernaculo vox: Ingredere, ait, Societatem Iesu. Et sic ingressus est,* ut scribit Ludovicus de Ponte I. parte Ducis spiritualis.

Sic Paulus Carvaillus *eversa navi in Tago Lusitaniae fluvio maximo, cum intra aquarum vortices sepultus jam mori videretur, divina quadam manu praeter omnem spem se trahi et supra carinam suaviter collocari sensit. Inde in corde suo scribi videbatur, Deum velle, ut Societati se traderet pro tanto beneficio, id quod executus est. Postea magnis poenitentiis corpus affligens, quotidie non minus quam sex horas orationi tribuens, frequenter visibili apparitione B. Virginis recreatus, morte sua praenunciata, imo ante quindecim annos praecognita, — repertum est enim schedium ab eo scriptum anno 1589: Supersunt mihi quindecim anni vitae, cum esset aetatis 45 annorum, et quinquennio*

---

[1]) Orl. lib. XVI n. 22. [2]) Ludov. de Ponte S. J. Duc. spirit. tract. I c. 22.

post adjuverat: Intra decennium moriar, anno 60. aetatis obiit.

Cuidam advocato, cum diu penderet animi, quodnam vitae genus tutissimum institueret, venit in mentem, si Christianae legis praecepta rudibus puerisque traderet, fore, ut ipse quoque Dei docentis vocem exaudiret, nec spes eum fefellit. Nam cum ad sumendum Christi corpus accederet, divinitus est admonitus, Dei mentem et voluntatem hanc esse, ut sese illi in Societate dicaret, quod non ita multo post fecit [1]).

Gulielmus Branslaeus Anglus, cum in hortis quibusdam inambulans de vitae, quam instituere deberet, genere cogitaret, manifestam Salvatoris speciem vidit, cujus et aspectu et tacito hortatu ad humana linquenda impulsus facile induxit in animum, ut illi potissimum coetui se aggregaret, qui illius, quam viderat, et vitam sectaretur et nomen gereret. Viso cum certa ejus asseveratio, tum maxime mores fidem fecere [2]).

Anno 1589 Parisiis *anceps quidam atque incertus, quam institueret rationem vitae, in illo fluctuantis animi aestu ex sacerdotis sententia confugit ad Deiparae templum, ubi tunc SS. Dionysii Sociorumque reliquiae visebantur. Hic cum oraret, supplex, divino illustrante Numine, portu consiliorum invento ad Societatem appellit* [3]).

[1]) Litter. ann. 1583. Dom. probat. Nugulat. pg. 61.
[2]) Litt. an. 1585. Imago primi saec. lib. II c. 9. p. 235.
[3]) Ib. pg. 266.

Ibidem impulsi alii memorabili modo. Cum vocaretur quidam a Deo, aut dissimulabat aut negligebat, sed inter preces fundendas iratum Dominum videre visus ejusque jussu male accipi plagis intrare compellitur ad Societatem. Alii cum in gravi morbo confessionem peregisset, personabant aures ejusmodi vocibus, ut iniret Religionem; quibus monitis obtemperans concepto voto Societatis ineundae convaluit.

Anno 1591 Manilae in Occidentalis Indiae Provincia Mexicana *indicavit Deus duobus viris, esse sibi curae studium Societatis: Uterque enim admonitus somnio est, ut salutem animae quaereret ea medicina, quae a nostris praescripta esset. Eorum alter sic vehementer incitatus est, ut, donec cooptaretur in coetum nostrum, nunquam fecerit orandi finem. Verum fuisse visum, rebus affirmavit* [1]).

P. Antonius Sardus, medicinae Doctor, *audivit a Christo: Veni post me, faciam te fieri medicum animorum. Quam vocem ita generose amplexus est, ut non modo se suaque, animum, corpus, servos, fortunas omnes, sed universam prope familiam Domino devoverit. Filiam et uxorem adduxit, ut amplecterentur monasterium sacrarum mulierum suo magno aere, majore labore exaedificatum, ipse raro exemplo Societatem nostram ingressus, praemissis tribus liberis, adolescentibus tantae indolis, quanta*

[1]) Ib. pg. 723.

illorum praeclaras exitus confirmavit. Obiit Panormi anno 1592 dilectus Deo et hominibus [1]).

Anno 1596 *Brunae adolescens pietati valde deditus, sed a Societatis instituto alienus, dum ipso Nativitatis Christi perriligio divinum illud mysterium secum ipse meditatur puerumque Deum in corde suo nasci attenta cogitatione postulat, repente interiore quodam monitu intelligit, se ab ipso, quem tacitus puerum venerabatur, et ad religiosam vitam et ad Societatem nostram praecipue vocari, ita futurum, ut Deus infans intra ipsius animum nasceretur, si eum sensum, quem demitti sibi coelitus sentiret, mens conciperet. Hanc adolescenti mentem divinitus immissam, divina bonitas admirabili alio testimonio declararit. Nihil enim ille cunctatus coelesti monito se praebuit obtemperantem. Sensit id agi illius frater major natu, ejus ut impediret consilium, leucarum octoginta iter ingreditur, in itinere sentit et ipse se moveri divinitus, quam sit impium divinae adversari voluntati hominesque a divino obsequio avocare. Hac territus religione, sententiam mutavit repenteque facta consilii mutatione se quartana liberatum sensit, qua sex mensibus laboraverat. Id ille pro divino testimonio accepit, quasi Deus illo beneficio declarasset, placere sibi eam consilii mutationem fratremque adolescentem divino sibi addici famulatui* [2]).

In Moravia, cum quidam divinis mysteriis per-

---

[1]) Litt. ann. 1592 pg. 30. [2]) Litt. ann. 1592 pg. 95.

ceptis Deum obsecraret, ut sibi aliquo indicio declararet, quid a se fieri vellet, visus est sibi hominem e Societate videre et simul hanc audire missam e coelo vocem: Hunc sequere. Ergo ingenti perfusus animi gaudio divinam voluntatem exequi statuit. E vestigio Canonicatum satis opulentum, quo fruebatur, Episcopo reddit: honestissimam nuptiarum conditionem ultro delatam repudiat, ad Societatem nostram advolat, paupertatem divitiis, castitatem connubio praeferens [1]).

S. Isidorus Pelusiota [2]), ponderans illa verba Evangelii: Ecce, quomodo amabat Iesus Lazarum, ita habet: *Neque enim purae et labis omnis experti justitiae carus fuisset, nisi justus extitisset. Deus enim non favore, sed judicio ad amandum duci solet.* Nisi Dominus Societatem nostram in bono statu et amore tali dignam videret, eam non amaret et personas selectas ad eam amplectendam non vocaret, alia signa certi sui erga illam amoris, supra commemorata et infra commemoranda demonstraret.

Addam hic alios miros Dei favores erga Societatem nostram, ante octoginta annos annotatos a P. Iacobo Ledesma, Societatis nostrae gravissimo Theologo, sub S. P. N. Ignatio in Societatem recepto, viro sancto, capite sequenti commemorando. Describam autem hic hos Dei

[1]) Ib. pg. 213. [2]) S. Isid. Pelus. Ep. lib. II ep. 173. (M. P. Gr. 78).

erga Societatem nostram favores, prout eos ipse propria manu scripsit in suo secreto libello, quem ab annis quadraginta Romae mihi donatum tamquam sacras reliquias conservo ob perspectam mihi P. Ledesmae sanctimoniam vitae, ab ejus familiaribus indicatam et in historia Societatis commendatam [1]).

IESUS. MARIA.

Miracula quaedam admiranda aut etiam stupenda norem vel decem plus minus, quae in hac sancta Societate Iesu reperiuntur, non particularia sed universalia, non singulorum sed omnium, neque alicujus temporis tantum sed continua; quae Dominus Iesus augere dignetur et magnitudine et numero, Virgoque gloriosa sacratissima Maria. Amen.

Primo. *Unio charitatis tanta inter omnes, ut etiam se invicem plus diligant, quam si unius essent patris carnalis filii, imo longe plus.*

Secundo. *Pax tanta ex unione.*

Tertio. *Donum tantum castitatis in juvenibus et qui in saeculo alioqui corruptis moribus vixerunt, ut ne odor fumi sit in eis, ut de tribus pueris Danielis dicitur. Quid mirabilius, inquit S. Bernardus, quando is, qui prius vix per biduum poterat a luxuria, crapula et comessationibus et ebrietatibus, a cubilibus et impudicitiis ceterisque similibus et dissimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet*

[1]) Ledesma S. J. in manuscr. pg. 72.

multis annis, tota utique vita sua! Quod majus miraculum, quando tot juvenes, tot adolescentes, tot nobiles, universi denique, quos hic vides, velut in carcere aperto tenentur sine vinculis, de Dei timore confixi, quod in tanta perseverant afflictione poenitentiae ultra virtutem humanam, supra naturam, consuetudinem?

Quarto. *Zelus tantus convertendarum animarum in omnibus.*

Quinto. *Conciones fratrum in Refectorio, concesso brevissimo spatio vel horae vel semihorae, et tales tamen, tam ferventes, tam rerum divinarum plenae, ut qui sunt in saeculo, plane admirentur, imo nec credant, id fieri posse tam brevissimo tempore; et tamen erant grammatici, dialectici, juvenes, pueri.*

Sexto. *Omnes esse spirituales. Nam in aliis Religionibus aut clericis aut secularibus* (talis erat status aliorum illo tempore, quo haec scripsit P. Ledesma, nunc enim Dei beneficio est melior) *vix unum aut alterum spiritualem, et hos dispersos, reperimus; ac hic etiam pueros, idiotas, doctos, indoctos.*

Septimo. *Multiplicatio Societatis tanta, per totum fere orbem tam brevi, idque cum mutatione morum earum regionum et civitatum, ubi habitat.* Addo ego, hanc multiplicationem tanto esse mirabiliorem, cum semper Societas ubique gentium passa sit magnas et patiatur adhuc persecutiones et contradictiones, etiam a magnis vi-

ris potenter excitatas. Tales tamen, quales S. Ecclesia semper passa est, sed irrito conatu. Nam, ut ait S. Chrysostomus: *Omnes motus et insidiae, quae adversus eam struuntur, fluctibus non dissimiles sunt, qui rupi illidantur atque dilabuntur in spumam* [1]).

Octavo. *Tantus profectus, quantus fit, cum primum quis ingreditur* (in Societatem), *quanta in virtute firmitas et constantia, post duos menses, post quatuor vel sex, ut mittantur peregrinatum, et soli, et tamen in virtute et Dei servitio constantissimi, non mutantur peccandi occasionibus ullis, quibus facillime antea superabantur, ut videantur illo parvo tempore ac si viginti annis mansissent in Societate.*

Nono. *Vocationes tam admirandae et miraculosae.* Talis fuit vocatio P. Ledesmae capite sequenti referenda.

Decimo. *Indiae miracula et infidelium conversio.* Solus enim S. Franciscus Xaverius, *multa centena hominum millia ad fidem convertit et baptizarit* (ut dicitur in Relatione Gregorio XV. data a Cardinale de Monte in Consistorio Cardinalium). *Ipse enim primus* (ut ibidem dicitur) *Paravis Malais, Iais, Acenis, Mindanais, Moluccensibus ac Iaponibus evangelicae lucis fulgorem induxit et salutem annuntiavit et reges ac principes non paucos baptizavit.*

---

[1]) S. Chrysost. ad presbyt. et mon.

Undecimo. *Liber Exercitiorum, in quibus qui se exercet, tam miraculose transmutatur; et fuit hic liber a P. Ignatio compositus, antequam litteris vacaret.*

Duodecimo. *Nobilium humilitas in Societate et doctorum, ac eorum, qui in majori videntur pretio alioqui, illi reperiuntur humiliores.*

Decimotertio. *Movendi corda divina virtute admiranda, et id tum a verbis ipsorum, tum etiam in solo aspectu et motu vel incessu, in iis, qui eos vident.*

Istorum reddi rationes possunt, et exemplis ac experientia comprobari, ut etiam protervi possint convinci. Si Dominus voluerit, aliquando eas reddam, quibus ostendatur, haec omnia ita esse, et esse non humana, sed plane esse digitum Dei. Haec P. Ledesma ad verbum propria manu scripsit circa annum Domini 1559. Tales ergo Dei favores erga hanc Societatem, qui adhuc durant et aucti sunt, et plures multo reperiuntur nobis noti, possunt securos reddere eos, qui ad Societatem aspirant, si fuerint ingressi in eam, bonam se electuros Religionem, et talem, qualem describit Ecclesiam in bono statu existentem B. Laurentius Iustinianus: *Intus in fimbriis aureis gloriam suam habere perhibentur propter eos, qui temporalis gloriae nitorem spernentes in suae puritate conscientiae atque in interiori mentis arcano sua opera recondentes divinam gloriam ambiunt et solius Conditoris oculis placere concupi-*

scant. Hi autem intus desideriis ignescunt sanctis, sursum feruntur in coelestia vehiculo caritatis, et suavitate quadam spirituali delectabiliter in Christo requiescunt. Istorum studia coram Deo fulgent, tametsi ab hominibus nesciantur [1]).

Ego sane, qui in saeculari statu existens Societatis homines ita exosos habui, ut non alium ob finem litteris dederim operam, quam ut libros contra eos scribere possem, ideoque vix annos quatuordecim natus praeter latinae linguae et graecae usum etiam principia hebraicae comparaveram, observans tamen ex sequenti cum Societatis hominibus eaque trina conversatione et familiaritate modum vivendi eorum et domi et foris, agnovi magnis argumentis angelicam plane in eis vivendi rationem, ideoque annos 17. natus eis me adjunxi et per annos quinquaginta, quos pridem in Societate exegi, Romae viginti annos, alibi reliquos, in praecipuis Societatis nostrae provinciis, in hac Societate manens et omnibus in ea perfunctus officiis, (solo Generalatu et Assistentium exceptis) prorsus talem inveni, qualem hic descripsit P. Iacobus Ledesma et alii viri sanctissimi infra recensendi. Nec tantum talem, sed multo praestantiorem, uti suo loco et tempore in alia occasione aperiam. (Cap. IV).

---

[1]) S. Laur. Iustin. de compunct. et compl. (Opera omnia Venetiis 1751 tom. II pg. 10).

Hoc tamen loco omittere non possum duo triave commendatione digna. Me per quinquaginta et amplius annos, quos in Societate exegi, et quadraginta in sacerdotio, nunquam audivisse ullum e Societate alicui Ordini religioso detrahentem seu eum denigrantem, quamvis se offerret occasio, dum vel scandala aliquorum Religiosorum omnibus illis in locis nota, (quippe publica et in publicis carceribus ac triremibus punita) nobis narrarentur vel referrentur varia contra Societatem nostram a quibusdam Religiosis dicta, scripta et facta. Unde agnovi, praeter alia argumenta, hanc Societatem quoque ad Christi discipulos pertinere, quippe id in suis moribus exprimentem ubique constanter, quod Christus Dominus Magister omnium pronunciavit: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Neque id tantum agnovit in Societatis hominibus per tot annos, peragratis sexies variis iisque praecipuis Societatis provinciis, sed vidi, omni genere beneficiorum et officiorum affectos et affici illos Religiosos a nostris hominibus, idque prompte et libenter, a quibus bene et certo sciebant, gravissime laesam famam esse et bonam existimationem nostrae Societatis vel ejus personarum. Ideo hanc quoque ob causam semper libentissime vixi in Societate (solam coelestem paradisum pro me reputans commodiorem), quia certum argumentum Filiorum Dei in ea

comperio, indicatum a Duce nostro coelesti: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis Filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos*[1]).

Alterum commendatione dignum in omnibus, quas peragravi provinciis, (ter Romam proficiscens et inde semper aliis itineribus in Poloniam et Lithuaniam rediens) observavi, a fide dignissimis personis iisque magnae auctoritatis mihi narratum, nostrae Societatis homines, licet scirent se coram saecularibus gravissime infamatos a diversis Religiosis, idque saepe, nunquam tamen coram iis nostros quicquam sinistre locutos esse contra famam et bonam existimationem, ut saeculares ii aperte non semel dixerint talibus Religiosis nos injuriose infamantibus: *Mirum est, nos saepius cum Patribus Societatis quam vobiscum versari et familiarissime agere, nunquam tamen ex eorum ore audivisse quicquam contra vos dictum, uti audimus ex ore vestro contra illos.* Qua in re excelluit Gaspar Radinus prope Cracoviam in nostri Novitiatus pago Wentclavie dicto Parochus, qui cum domi suae haberet convivas celebris cujusdam Ordinis Religiosos et multa contra Societatem diu effutientes audiret, tandem scrupulo non omit-

[1]) Ex S. Matth. 5, 44. 45.

tendae correctionis fraternae et christiana caritate motus, maledicis hospitibus dixit: *O Patres mei, ego jam quadraginta annis cum Patribus Societatis familiarissime ago et nunquam ullum eorum ulli Religioso detrahentem audivi, uti vos audio detrahentes viris de Ecclesia Dei et republica christiana ac de omnibus religiosis Ordinibus optime meritis, quorum et exemplis templa vestra ad hunc splendorem reformata et institutione juventutis vestra monasteria, ante eorum adventum vacua, modo sunt plena viris egregiis ac scholis eorum suppeditatis.* Tum illi: *Ita omnino est, joci gratia haec diximus.* Credat, qui vult, haec joci gratia dicta fuisse.

Addam tertium adhuc, magna consideratione et admiratione dignum, quod in 70. annis meae aetatis adverti partim ipse, partim vera relatione testium omni exceptione majorum didici, omnes illos principes et proceres ac inferioris conditionis homines, qui Societatem vehementer amabant et amant ac promovent beneficiisque afficiunt, prosequi vero et sincero amore ac beneficiis omnes alios Religiosorum Ordines, nec ulli esse offensos, nec ullius Ordinis famam laedentes, etiam in privatis consessibus; adverti autem multos quorundam Ordinum benefactores et fautores tanto Societatem nostram vel odio prosequi vel lingua maledica proscindere, privatim et publice, et adeo ab Societatis personarum etiam aspectu abhorrere illarumque con-

versationem declinare ac dissuadere aliis, quo modo non prosequuntur Iudaeos et haereticos et alios gravissimis sceleribus, notis omnibus, coinquinatos atque infames.

Quae omnia benevola recolentes mente imitamur regem mansuetissimum David, qui, ut scribit S. Ambrosius, *evangelico spiritu non solum inoffensus, sed etiam gratus fuit convicianti Semei, et delectatus potius quam exasperatus injuriis, pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur*[1]). Scimus enim, ut ait Tertullianus, *praeceptum esse nobis, ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare*[2]).

Mirari tamen satis non possumus, cur talium Religiosorum amici ac patroni ex quotidiana et frequenti consuetudine cum illis non imbuantur christianae charitatis spiritu, qui, ut ait Apostolus, *non cogitat malum*[3]), multo minus a servis Dei abhorret et famam illorum non denigrat. Non tales videmus alios nobis intima familiaritate et consuetudine junctos. Proferam unum tantum exemplum e multis.

Lugduni anno 1591 *dederat nobis operam adolescens advena, musica arte, qua saepe nostrum celebrabat sacellum, maxime excellens, in amore erat ac deliciis totius civitatis. Iurenis urbanus, amplis-*

---

[1]) S. Ambros. De off. lib. I c. 48. (M. P. L. 16. 150). [2]) Tertull. Apol. (M. P. L. I 507). [3]) Epist. I ad Cor. 13, 5.

sima familia tumens, cum prae illo intelligeret se parvi esse, contra ejus vitam insidias ponit, tandem nec cogitantem liberali plaga maxillam ferit. Saucius vulnerarios scit, nemo audet obligare maxillam, adhibere medicamenta, ne apud vulneratorem offendant, cujus cognita audacia, donec e nostris unus jacentem suoque volutatum in sanguine offendit. Statim medicum, quo utimur, accersit. Is sanguinem premit et imponit fomenta vulneri: dilata mors videbatur tantum ad paucos dies. Biduo post alius cum moribundum convenisset, interfectori suo necne ignoscat, interrogat. At ille: Duodecim, inquit, anni sunt, cum formatus a vestra Societate inimicos didici diligendos esse eisque acerbissimam quamque condonandam injuriam, Deo docente. Proinde hanc totam P. Rectoris voluntati fideique permitto. Ego quidem non aequo tantum animo, sed et libenti ignoscere paratus sum. Nulla in eo fuit destinatio vindictae, quin et repulit aliquos, qui se ultores offerebant, et cum percussor ne quidem postularet veniam, laesus a percussore audiens: Audio, a te expeti benevolentiam meam, respondit (etsi id facere non tenebatur). Expeto, ut cum maxime; simulque ivit in ejus amplexum [1]).

Sic convictores et familiares nostrae Societatis a nobis instruuntur et imbuuntur christianae charitatis officiis, ut etiam inimicos et hostes diligant et amplexentur. Corrigimus enim

[1]) Litter. ann. 1591 pg. 543.

eos peccantes, monemus paterne, si vero videntes eos in lethalibus sceleribus et proximis eorum occasionibus perseverantes nolle eas deserere, ipsi eos deserimus, saepe magno nostro incommodo et speratorum ac promissorum insignium beneficiorum alio translatorum jactura. Malumus tamen eam pati quam adulari et eos, qui absolutionis in sacramento poenitentiae non sunt capaces, ob proximam occasionem gravium scelerum non remotam a se, vel alias similes ob causas, non absolvere et ob negatam juste absolutionem offensiones illorum incurrere ac ob id persecutiones pati. Malumus enim homines offendere quam Deum.

CAPUT II.

De Coelitum favoribus erga Societatem Iesu.

Primus locus debetur in hac narratione Beatissimae Virgini Mariae, primum in coelo supra omnes beatos Spiritus thronum occupanti. Ejus erga Societatem patrociniun multiplex enituit. Inprimis, dum Ignatium ad Societatem Iesu fundandam aptavit, ei sua praesentia nauseam rerum terrenarum adferendo eumque sanctioris vitae ineundae desideriis inflammando. *Augustissima enim specie ac beatissimo lumine fulgens una cum parvulo Iesu non modo palam sese*

ei ostendit, rerum etiam incredibili benignitate spectandam diu praebuit, tantumque repente odium fastidiumque rerum terrenarum Ignatio ingessit, earum praesertim, quae cum inhonesta voluptate conjunctae sunt, ut omnes rerum illarum imagines ex hominis memoria confestim aspectus ille Deiparae ac pueruli Iesu deterserit, et ex eo tempore ad extremum usque vitae diem Ignatius plane omni sensu libidinis caruerit donumque altissimum eximiae castitatis consecutus sit[1]).

Cum vero S. Ignatius ad meliorem vitam conversus esset, eadem Beatissima Virgo Maria eum nondum litteris excultum docuit illum orandi et vitam spiritualem instituendi modum ac discretionem spirituum, qui est ab eo in Libro Exercitiorum expressus, quo et se et primos socios ad hanc Societatem instituendam excoluit, et in cujus meditatione primo post suam conversionem anno ideam Societatis a se fundandae divinitus cognovit, et cujus libri se esse Fundatricem et Magistram Deipara per Gabrielem Archangelum, missum cuidam sanctissimae virgini, revelavit, atque, ut illa ejus legationi fidem indubiam adhiberet, Deus antea illam praemonuit. Hujus libri repetito usu hactenus

---

[1]) Maff. lib. I c. 2 l. III c. 8. Rib. lib. I c. 2. Orland. l. I n. 13. Laynez S. I. in Vita S. Ignatii manuscripta. [2]) Ludov. de Ponte S. I. Vita P. Alvarez c. 43. Ludov. Palma. Iter spir. p. I lib. V c. 2.

Societas ipsa in suo statu et flore conservata est et innumeras animas aliorum Deo lucrata.

Deinde cum S. Ignatius sociis novem auctus, eorum rogatu Constitutiones Societatis scriberet, *praeter frequentissimas visiones divinarum personarum, quas in conformationem earum, quas scribebat, Constitutionum, paene quotidie habebat, saepe etiam Beatissimam Dei Matrem vidit pro se intercedentem et Constitutiones illas confirmantem* [1]).

Fundata plene Societate et per Apostolicam Sedem saepius confirmata, quam ea sit Beatissimae Virgini Mariae cara, ostendit inprimis viro sanctissimo P. Martino Guttierez Hispano [2]), cujus mortui in carcere, in quem ab haereticis Gallis conjectus fuerat, animam S. Teresia vidit cum aureola martyrii coelum intrantem: *Apparuit enim illi Virgo sanctissima, eximia admodum specie micans, veste in magnam latitudinem expansa, ac sub ea veste Societatem totam collectam continente, quam illa materno affectu complectebatur, eoque quasi charitatis ac gratiae tegumento conforebat* [2]).

Hoc quoque Beatissimae Deiparae patrocinium erga Societatem Iesu ostendit, quod, cum saga quaedam in Sicilia multis maleficiis aliisque sceleribus coinquinata et eorum convicta ad rogum et locum supplicii esset deducenda,

---

[1]) Ludov. Consalvez S. I. Vita (Manuscr.) S. Ignatii pg. 74, 75. [2]) Platus. De bono status religiosi lib. 1 c. 34. Elias Leg. Eccl. trium. lib. II c. 31.

interrogata, an etiam aliquando ad Societatis domicilium noctu, diaboli ope, uti ad alia turpis commercii causa domicilia solebat, introducta fuisset, praesente et audiente P. Antonio Cicala, a quo id ante 45 annos Romae audivi, fassa est, se quidem voluisse etiam ad Societatis domicilium deferri a diabolo et pudicitiam quorundam nostrorum formosorum juvenum tentare, sed cum prope accederet, a persona quadam senio veneranda repente apparente se fuisse prohibitam, ne illuc intraret, dicente: Collegium illud esse hominum peculiari cultu Deiparam colentium et sub patrocinio ejusdem speciali constitutum.

Simili modo cum Braunsbergae in Prussia saga altera ope diaboli esset noctu intra Collegium illata et videre cuperet, quomodo Societatis homines suis in cubiculis cubarent, quamvis videret portas cubiculorum apertas, nullum tamen prorsus videre potuit jacentem, eo quod Deipara matronae venerandae specie apparens, pallio suo expanso aspectum illius omnem impediret.

Ad hanc Beatissimae Dei Matris erga Societatem Iesu benevolentiam referri debet, quod multis suaserit, eis manifeste apperens vel coelesti sua voce excitans nominatim, ut Societatem Iesu ingrederentur. Hoc modo traxit ad Societatem Iesu B. Franciscum Borgiam, cum, etsi ille ad alium Ordinem a pueritia vehemen-

ter propenderet, tamen per B. Ioannem Texedam Ordinis Minorum, virum vitae sanctimonia clarissimum, dici Borgiae voluit, ut non alium quam Societatis Iesu Ordinem ingrederetur [1]).

Eodem modo P. Ioannem Mugnez seu Nunnium, postea ad Patriarchatum Aethiopiae evectum, ad Societatem vocavit, et P. Martinum Olavium et P. Bartholomaeum Bustamantium et B. Stanislaum Kostkam et B. Aloysium Gonzagam et P. Petrum de Anasco et P. Sebastianum Barradium et P. Bernardinum Realinum et P. Alexandrum Dobokay Ungarum et Horacium Girellum, laicum, et Thomam Perusinum, item laicum, et alterum P. Ioannem Nunnium ex nobilissima Guzmanorum familia, ut omittam alios, minus celebres et minus notos [2]).

Ad hoc caput referendae sunt quam plurimae apparitiones Beatissimae Virginis Mariae, quibus plurimos e Societate nostra et sacerdotes et clericos et coadjutores nostros solari et confortare in suscepto vitae genere dignata est et saeculares incitavit ad quaerendam spiritualem opem a nostra Societate [3]). Plenae sunt Societatis nostrae Annuae his Deiparae Virginis favoribus. Inter alios notabilis fuit ille Ioanni

---

[1]) Rib. l. I c. 14. Orland. lib. VIII n. 65. Vita Ms. B. Texed. [2]) Orlan. Vita Fabri lib. I. c. 18 et Hist. Soc. p. I lib. IV n. 140 lib. XII n. 6, 7, 47, 48. Sacch. Vita B. Stanisl. Cepar. Vita B. Aloys. Litt. ann. S. I. [3]) Imago primi saeculi lib. II c. 9 pg. 236.

Baptistae Coadjutori nostro exhibitus (uti scribit etiam R. P. F. Elias a S. Teresia, bene meritus de animabus purgatorii et de omnibus religiosis Ordinibus, quos sine invidia copiosissime commendavit in legatione Ecclesiae Triumphantis [1]). *Hic Ioannes Baptista in Societate bimestri spatio fuerat, cum a grari quadam tentatione fere superaretur, adeo, ut de abitu e Societate apud semet cogitationes volveret: Et ecce vidit Beatissimam V. Mariam ab uno latere adstantem sibi habere S. Petrum, ab altero S. Barbaram. B. Virgo enm solabatur et robur addebat et, ut vitae suae conditioni acquiesceret, exhortabatur et, ut in ea perseveraret, commonebat; aeternam quippe salutem in ea consecuturum. Qua visione erectus firmiter in ea vocatione perstitit et alias graviores visibiles diaboli tentationes superavit.*

Huc spectat, quod in Annuis Litteris Societatis nostrae anni 1584 narratur de Goana Novitiorum Domo in Orientali India [2]).

Miles quidam, cum diu vocanti Deo pertinaci mente resisteret ob eamque causam magnis conscientiae stimulis agitaretur, stratus ante venerandam Dei Matris imaginem extrema quadam circumfusus luce, quam simul aspexere complures, usque eo animatus est ad parendum, ut statim abjecto peccatorum onere per confessionem illustriorem divinae vo-

---

[1]) Elias a S. Teresia Legatio Eccl. triumph. lib. VI c. 31 n. 43. [2]) Litt. ann. 1584 pg. 122.

luitatis significationem non expecturit. Et ita Societati nomen dedit anno 1585. *Burdegalae adolescens duodecimum annum agens, cum prima Societatis fama commotus, ei se sine cunctatione dicaret. Huic dormienti vox ad aures accidisse dicitur, moriturum esse brevi, experrectumque cum timore in preces flexisse genua; affuisse repente eximia pulchritudine mulierem amictu candido, quae hujusce modi verbis illum affata est: Ades animo fili et omitte timorem, nondum moriere, prius voti* (de ingressu in Societatem) *compos efficieris. Quod visum cum die insequenti in missae sacrificio recurreret, paene a sensibus aberrasse, cumque socii, ut in sella paulisper requiesceret, hortarentur, nunquam de gena surgere, quo semel incubuerat, voluisse. Eidem de more precanti et tractanti animo Christi vulnera Christus quoque dicitur visus verberibus laniatus eaque specie adolescentem primo territum mirifice recreasse*[1]).

Circa annum Domini 1587 *Parisiis quidam e convictorum contubernio visus est persaepe mediae noctis silentio audire vocem, quae cum excitabat: Surge, eamus hinc, jam tempus est. Quam rem cum aperuisset aliquando anxius sacerdoti, apud quem confitebatur, ejusque admonitu alter veluti Samuel respondisset: Loquere Domine, quia audit servus tuus, vocem quidem nullam praeterea audivit, sed se adeo immutatum animo sensit, ut aliud nihil nisi*

[1]) Litt. ann. S. I. 1585 pag. 321.

coelum et coelestia cogitaret. Perpolitus deinde institutionibus spiritualibus videbatur audire identidem loquentem in aurem: Qui non odit Patrem etc. Relictis rebus omnibus nostramque ingressus Societatem fecisse se re ipsa ostendit, quae vox illa missa divinitus imperavit [1]).

Circa idem tempus in Legionensi civitate Provinciae Castellanae *unus quidam erat simplex et minime malus; duodecimum jam annum quotidie percurrendo rosario preces Deiparae persolvebat. Narrabat hic postea, ipsis quindecim seu viginti continenter noctibus visam sibi matronam venerabili specie (Beatissimam V. Mariam sibi persuadet fuisse), a qua excitabatur his vocibus: Legionem contende, tuorum delictorum veniam a Iesuita aliquo per integram confessionem pete. Nec vanum fuisse visum, interior animi motus ostendit* [2]).

Ibidem narratur, in Peruana Provincia Cusalei quandam *mulierem vidisse virum decora facie, demisso capite, ingenti et cana barba, conformatis dexterae digitis in speciem benedicentis, qui haec ei locutus: Quo te is perditum, nisi bene peragas confessionem? Adi ad Societatem Iesu, quaere sacerdotem, (eumque nominabat) hic tibi rite rectegue confessae plenam dabit veniam peccatorum* [3]).

Anno 1589. *Parisiis adolescens pertaesus vitae prioris cum meliorem instituisset, nocte quadam,*

---

[1]) Litt. ann. 1584 pg. 350. [2]) Ib. pag. 457. [3]) Ib. pag. 497.

quae secuta erat diem Dominicum, audit vocem hortantis ad perseverantiam. Octiduo post admonito similiter et quaerenti, quis esset, qui loqueretur, responsum est, cognomen esse ipsius Ioannem Evangelistam; additum, an hunc vel illum Ordinem amplecti vellet, duobus nominatis. De Religione fortasse deliberabat adolescens, qui et dixit: Faciam, quod Deus imperabit. Tertio die Dominico, nocturno item tempore, quasi ex compacto redit eadem vox, quasi stimulos addens juveni, atque exhortans, ut religiosam vitam magno animo capessat; interea in manu dat illi schedulam: Sunt istic nomina trium Religionum: Capuccinorum, Carthusianorum, Societatis Iesu, opta, quam voles, ego amplius non revertar. Ita relictus Ioannes plenus admirationis et metus. In schedula erant trium Ordinum nomina et duos quidem argenteae litterae, nostrum (id erat tertium) aureae exprimebant, quem et sequi constituit [1]).

Huc spectat et vocatio Patris Ioannis Fernandii, celebris sacrarum litterarum in Romano Collegio et in Hispania Professoris ac Apostolici Concionatoris, *qui cum primos emensus annos pueritiae a patre, cui unicus erat, a studiis humanitatis ad mercaturam vocaretur, et moerens amore studiorum Toleti in sua patria ante imaginem B. Virginis fusus in preces a coelesti Matre flagitaret, ne rei augendae causa a litterarum studio avellere-*

[1]) Litt. ann. 1589 pg. 265. Imago primi saeculi S. I. lib. II c. 9.

tur, aliquamdiu perstiterat in precibus, cum levi somno occupatus sibi visus est audire divinam Matrem ex ipsa imagine loquentem sibique perennem, quem petebat, studiorum cursum pollicentem, insuper Societatis Iesu alumnum futurum praedicere, a qua tamen voluntate erat ille in praesens alienus. Experrectus magna concepta animo laetitia Sanctissimae Matri perpetuam virginitatem vovit, quam ad finem usque et corpore et animo servavit. Ita progressus in studiis, duoderigesimo aetatis anno in Societatem est admissus, statoque tempore inchoata studia absolvit. Quadraginta annos in Societate egit, vir doctrina eximius, illustre Religionis exemplum et odore sanctitatis inprimis clarus. Repertus post mortem ejus commentariolus, cursum illius meditationum indicans ab anno ejus saeculi octogesimo septimo ad nonagesimum. In eo est, B. P. N. Ignatium bis ei se visendum praebuisse, Angelorum choros, quoram etiam adscripti cantus, tum B. Virginem cum sancto coelestium virginum comitatu, sanctum quoque Mauritium cum Sociis illi sese ostendisse. Inter alia enim pietatis opera in Belgio operam in castris catholicis militibus praestitit, miraculose non semel a morte praeservatus [1]).

Mexici anno 1591 *jurenis profligatus ac perditus, cum nec parentum nec uxoris admonitu innovare se vellet ad honestatem vitae, in nocturnis tenebris, post strepitum ac fragorem ingentem, vi-*

[1]) Litt. ann. 1595 pg. 201, 202, 204.

dere visus draconem horribili specie, et statim perterritus exclamat ad conjugem: Fer opem, uxor, draco diductis faucibus mihi interitum minatur. At mulier nihilo audacior: Cruce frontem muni, inquit, et Mariam Dei Matrem voca. Hoc facto diffugit spectrum: et audita vox, abjiceret sarcinam peccatorum, adiret Societatis Iesu Patres de tota vita consilium daturos [1]).

Eodem anno in Provincia Peruana *Indus aegrotans vidit nocte mulierem eximiae pulchritudinis in candenti veste, praedicentem de adventu sacerdotis nostrae Societatis auxilio multis et solatio futuri, cum hoc, ad communicandos sermones non fore opus interprete, cum illorum linguam calleret. Proinde eluerent apud illum conscientiae labes ejusque consilio uterentur; ipsum quidem, si hoc fecerit, non multo post convaliturum. Aegroti visum probavit adventus promissi a Virgine Maria sacerdotis, qui auditus est, externus quamvis esset, ita intelligenter et expedite loqui, ut auditores miraventur. Et ille aeger alloquio ejus firmatus brevi valetudinem recepit* [2]).

Anno 1592 *in Gallia adolescens Societatem nostram cogitans, ut parentum ac domesticorum oculos vitaret, in remotissimam se aedium partem abdere consueverat, ubi solus cum Deo sine arbitris versaretur. Huic cubitum euntí, extincto jam lumine, oblata in tenebris eximia species Virginis, quae il-*

[1]) Litt. ann. 1591 pg. 718. [2]) Ib. pg. 741.

lum timore perterritum ac sese avertentem nihilo secius blande intueretur. Hoc ille visu mirum in modum se in suscepto consilio confirmatum sensit nec dubitabat, quin illa B. Virginis species fuisset [1]).

Eodem anno in Polonia *quidam de suscipiendo sacrae vitae instituto, una excepta Societate, a qua mirum in modum abhorrebat, dum secum deliberat, in gravem moerorem incidit, qui illi causa adamandae Societatis fuit. Nam cum angore animi urgeretur, visus est sibi per quietem a B. Virgine admoneri, ut, si moerore liberari vellet, ad Christum, (qui oppressus aerumnis adesse videbatur) confugeret. Hunc igitur cum afflictum ac jacentem adolescens sublevare conaretur, ejus vocem audire sibi visus est: Confide, fili, quoniam me sublevasti, ipse vicissim a me sublevaberis. Qua ille voce permotus incredibili cupiditate Societatis exarsit. Itaque contemptis sollicitudinibus ac minis potentissimi viri, in cujus fide ac tutela erat, ex Polonia Brunam ad Noviciatum Societatis in Moravia situm profugit* [2]).

Reginam coelorum Sancti coelestes imitati suo quoque patrocinio Societatem Iesu in ejus parente et filiis illustrarunt.

Inprimis S. Petrus Apostolus Ignatio ad fundandam Societatem et tuendam Sedis Apostolicae auctoritatem divinitus destinato, cum morbo lethali pene extinctus jaceret, apparuit et deploratam a medicis valetudinem restituit, ut,

---

[1]) Litt. ann. 1592 pg. 105, 106. [2]) Ib. pg. 212, 213.

qui quarto obedientiae peculiaris voto se et suos Professos Christi Vicariis devincturus erat, eum primus Christi Vicarius sanaret vitamque prolongaret ad statuenda et exequenda ea, quae per eum deinceps fundata Societas ubique terrarum in dilatandis S. Ecclesiae finibus et Romani Pontificis imperio praestitura erat [1]).

Cum primus e Societate, adhuc ante confirmatam a Sede Apostolica Societatem, mortuus esset Patavii Baccalaureus Hozius et eo ipso tempore Ignatius in monte Cassinate esset *divinitusque cognovisset, Socium Patavii mortuum, vidit animam Socii luce clarissima radiantem, deducentibus Angelis, in sublime ferri, atque ipsa demum coeli beatissima regna conscendere. Deinde, cum ad sanctum altare accessisset, magnum Sanctorum numerum fulgentem gloria ante oculos positum vidit, inter quos et Hozius aderat, splendidiore quam reliqui habitu gloriaque multo illustriore.* Ita primo Societatis filio ex hac vita translato Sancti coelestes faventes ipsam Societatem, quae eum coelo donavit, honorarunt in filio, et hac ratione ejus Institutum tanquam facilem ad coelum viam aperientem declararunt.

Sed et ipsum honorarunt Ignatium, et in eo

---

[1]) Ribad. lib. II c. 2. Maff. lib. I c. 2. Orland. lib. I n. 10. [2]) Rib. lib. II c. 6. Maff. lib. II c. 11. Orland. lib. II n. 38, 39.

totam Societatem, cujus ille fuit caput, siquidem datus fuit ei divinitus custos illius, non ex infima Angelorum hierarchia, uti solet dari omnibus communiter, sed Archangelorum unus [1]), ut quemadmodum judicio S. Bernardi Archangelus Gabriel Beatissimae Dei Matris custos fuit [2]), ita et Ignatii, cultum Deiparae per se et per filios suos promoturi, unus ex supremis Archangelis custos esset. *Probabile enim est,* inquit Suarius [3]), *committi Archangelis curam quarundam insignium personarum.* Quod etiam antiquiores docuerunt Theologi et alii recentiores [4]) et S. Gertrudi Virgini non solum de choris Angelorum et Archaagelorum, sed etiam altiorum saepius deputatos fuisse in ministerium, ipsamet fassa est, ut scribitur in libro Insinuationum divinae pietatis Dei jussu conscripto [5]). Quod etiam de S. Francisca Romana scribitur in ejus Vita.

Quam vero gratum acceptumque sit Coelitibus quotidianum in Societate matutinae meditationis obsequium a S. Ignatio praescriptum, hinc quoque apparet. Receptus in Societatem fuit vivente Ignatio Ioannes Carrera, vix annos ingressus adolescentiae, qui cum se totum contulisset ad exercitationem disciplinamque virtu-

---

[1]) Ribad. lib. V c. 3. [2]) S. Bern. Ep. 77. [3]) Suar. De Angelis lib. VI c. 18 n. 10. [4]) Petr. Lomb. II dist. 10. Durand. ib. qu. 1 Mars. qu. VII a. 1. Vasquez p. I disp. 144 c. 2. [5]) S. Gertr. Insin. div. piet. lib. II c. 10, 23.

tum, tantam cum suo Angelo custode familiaritatem contraxit, *ut velut intimo cum amico sua consilia sermonesque conferret, saepe ad eum de suis rebus dubiis arduisque referret, saepe interrogaret exquireretque consilium, vicissimque ei Angelus ad omnia notis hisce usitatisque vocibus responderet. Denique tam familiari fuit usu Angelo suo conjunctus, ut ab eo quotidie horis antelucanis ad orationem excitaretur a somno* [1]).

Quanti autem faciant Coelites amorem vocationis ad Societatem et in ea caste vivendi ac ad mortem perseverandi sollicitudinem, apparuit in Patre Iacobo Ledesma, cum esset ad Societatem vocatus vivente S. Ignatio et Romam proficisceretur, illic tyrocinium suum inchoaturus. Et cum de servanda castimonia ac vita in Societate finienda esset sollicitus, post visum Christum Dominum, qui ei apparens sanctissimoque suo ore illum consolans aequo animo esse jussit, daturumque se illi, ut caste et usque ad extremum spiritum in Societate perseveraret, promisit, adfuit quoque alio tempore et loco Virgo Deipara cum tribus comitibus, Maria Magdalena, Catharina Virg. et Mart. et Catharina Senensi, ac dulcissime eum affata non modo pudicitiam et perseverantiam in Societate pollicita est, sed etiam rursus ad vitae finem se ei apparituram, tumque ipsum intellecturum,

---

[1]) Orland. libr. XI, n. 66.

sibi vera pollicitam, quamque excellens donum sit cordis corporisque munditia, et quantum beneficium sit vocatio ad Societatem et perseverantia in illa [1]).

Porro quantopere placeat Coelitibus, dum nova fundantur Societatis domicilia, docuit S. Felix, Nolanorum Patronus. Cum enim Nolam vocati ad inchoandum ibi Collegium Patres et Magistri venissent et a civibus perhonorifice perhumaniterque, multis primorum, partim in equis, partim pedibus longe obviam egressis, excepti fuissent, festivo interim campanarum sonitu publicam celebrante laetitiam, ea ipsa nocte, qua urbem ingressi sunt Patres, e corpore S. Felicis ibi sepulto latex, qui sacer ac saluber habetur (manna a vulgo appellatus) manavit, felicitatem portendens et tanquam nomine veteris loci Patroni novos hospites laetus ac favens excipiens [2]).

Circa annum Domini 1585 *Mussiponti cum quidam ancipiti distraheretur consilio, daretne Societati nomen, ad quam se videbat impelli, an optimo ecclesiastico beneficio, quod ei offerebatur, opitulatum iret suis, vidit per quietem eximia dignitate oris juvenem (Angelum credidit), a quo primum dubitans castigatus est, deinde vero ita confirmatus in meliore proposito, ut omnis recusatio fuerit adempta* [3]).

---

[1]) Sacch. p. II lib. I n. 64, 65. Valtr. in hist. manuscr. [2]) Sacch. p. II lib. II n. 78, 79. [3]) Litterae ann. 1585 pg. 352.

Anno 1591 cum Pater Edmundus Augerius, multis rebus pro Dei gloria in Gallia gestis clarissimus, Comi in provincia Mediolanensi pie obiisset, *quaedam pia mulier vidit Aronae Angelos circumsistentes lectulum Patris, moxque exeuntem animam deducere in coelum ingenti laetitia, pulcherrimo puerorum sodalitio, quale ipse instituerat olim in Gallia, celebrem pompam prosequente* [1]).

Eodem anno in Mexicana Provincia Occidentalis Indiae *in sede Pascuarensi Indus, rerum divinarum usui deditus, mira tenebatur cupiditate nostros videndi. Hoc maximum ipsius votum ac postulatum erat, ut veniret ad oppidum. Cum in ea cogitatione versaretur, noctu tres iuvenes secundum quietem videt divina specie, e quibus unus aureum vas eleganti elaboratum artificio ferebat. Tum, quale hoc esset spectaculum et quid portenderet, cum scire cuperet tacitus, occupavit alter comitum, qui nihil ferebant: Num illum nosti? neganti subjecit: Michael est. In eo vase est medicina, qua Patres Societatis Iesu, post tertium diem venturi ad vos, Indorum aegritudines sanabunt. Visum comprobavit eventus* [2]).

[1]) Litt. ann. 1591 pg. 139. [2]) Ib. pg. 719.

CAPUT III.

De benevolentia erga Societatem Iesu personarum illustrium sanctitate vitae et a Sede Apostolica canonisatarum, quae primo saeculo Societatis vixerunt.

Praeter beneficia a Sanctis coelestibus Societati praestita multa quoque a Sanctis eximiis in terra viventibus in Societatem manarunt. Nam quotquot vixerunt a Societate fundata personae, laude et fama sanctitatis celeberrimae, magno amore Societatem universam prosecutae sunt et miris laudibus res ejus celebrarunt, et plerique etiam consilia et spiritualia auxilia a Societatis hominibus quaesierunt, ab eisque in rebus spiritualibus partim instituti, partim dirigi voluerunt.

Inter hos primo commemorandus est S. Carolus Borromaeus, Cardinalis et Archiepiscopus Mediolanensis, notae sanctitatis Antistes, adeo in toto orbe celebris, qui quantopere foverit, amarit et aestimarit Societatem, testes sunt tum alii, tum ejus vitae scriptores et domestici, praesertim Ioannes Petrus Giussanus, Patricius et sacerdos Mediolanensis, ejus familiaris, in Vita S. Caroli, quam copiosissime post alios ultimus edidit.

Cum enim S. Carolus sacris ordinibus ini-

tiatus esset et se ad primam Deo hostiam offerendam praepararet, elegit pro hac re Domum professam Societatis Romanam, in qua ab uno e Societate spiritualibus exercitiis S. Ignatii fuit excultus. Post celebratum primum Missae sacrificium, ut publicae pietati serviret, secundum, ut pietati suae indulgeret liberius, in privato sacello Domus Romanae, quo S. Ignatius utebatur, sacrum fecit [1]). Initio sacerdotii, cupiens se totum virtutum exercitationi impendere et vitae sanctimoniae acquirendae vacare, elegit pro duce et directore suo P. Ioannem Baptistam Riberam, qui cum S. Carolum exercitiis spiritualibus S. Ignatii excoluisset, per veras solidasque virtutes eum ducebat, exercendo in actibus perfectioribus earum [2]).

Sciens S. Carolus in suo Mediolanensi Archiepiscopatu corruptissimos cleri et populi mores, et volens corrigere eos et suam amplissimam dioecesim reformare, Patres Societatis primus Mediolanum induxit et ibi eis Collegium nobilissimum fundavit [3]).

In primo Concilio provinciali Mediolanensi, ad reformandum clerum et populum instituto, praesentibus undecim Episcopis et quatuor Cardinalibus, concionem italicam habere jussit P.

---

[1]) Sacch. p. II lib. II n. 11. [2]) I. P. Giussanus, Vita S. Caroli Borom. lib. I c. 5. [3]) Ibid. lib. I c. 9 lib. VI c. I.

Benedictum Palmium Societatis Iesu de necessitate modoque reformandae Ecclesiae [1]).

Praecipui seminarii pro clero reformando a se instituti curam Patribus Societatis Iesu commisit, qui illam susceperunt ad tempus, donec aptas pro eo deinceps regendo personas formarent, quibus formatis impetravit a S. Cardinali primus seminarii Rector P. Iacobus Crucius, ea ut cura eum ac socios liberaret aliisque a se bene informatis committeret, ut ille, postea ipse mihi Romae diu familiaris, narravit et scriptum hac de re testimonium, quod penes me est, ad perpetuam rei memoriam reliquit. Anno 1631 12 Septembr., praesertim ad obstruenda ora eorum, qui rerum ignari falso sparserant, nobis invidis et non petentibus ademptam esse per S. Carolum a Societate nostra illius seminarii administrationem, illam enim petenti S. Carolo, ut perpetuo penes Societatem esset, recusavit; ea tantum ei conditione proposita suscepit nostra Societas, ut ab ea administratione libera foret, postquam viros pro illo seminario bene gubernando idoneos educasset, illis vero sub sua cura educatis sponte et libens cessit ac se liberari petiit [2]).

In omnibus ministeriis suae Ecclesiae S. Carolus utebatur opera Patrum Societatis Iesu.

---

[1]) Ib. lib. I c. 11. [2]) I. P. Giussanus, Vita S. Car. Borrom. lib. II c. 5. Epist. P. Iacobi Crucii.

Siquidem ii (verba sunt Giussani), *tanquam pleni caritate et spiritu divino multaque doctrina et prudentia ornati erant efficaces et ferventissimi in concionibus, assidui et diligentes in confessionibus et in omni ministerio ecclesiastico* [1]).

Praeter Collegium Mediolanense etiam Domum Professam Mediolani Patribus fundavit, templumque S. Fidelis attribuit, imo a fundamentis erigi curavit: praeterea Novitiatum Societatis in eadem provincia fundavit Aronae. Auctor fuit quoque, ut in Helvetia duo Societatis Iesu Collegia fundarentur, Lucernae unum, Friburgi alterum [2]).

Faciebat Carolus exercitia Societatis quolibet anno primis sui sacerdotii annis, deinde ea bis in anno faciebat, et in hac consuetudine perstitit usque ad mortem, et semper aliquo e Societate in illis directore utebatur, et per ea crescebat semper magis in fervore spiritus, et perficiebat se valde in sanctis virtutibus [3]).

Suo fructu, quem ex exercitiis spiritualibus S. P. Ignatii percipiebat, non contentus, multos alios, praesertim ministros suos, frequenter ad eadem exercitia inducebat; suos vero dilectos clericos in seminario, tum in ipso ad illud ingressu, tum ante susceptionem sacrorum ordi-

[1]) Ib. lib. II c. 5, 7 lib. III c. 8 lib. VII c. 4, 5, 6. [2]) Ib. lib. II c. 7, 19 lib. III c. 1. [3]) Ib. lib. II c. 16 lib. VII c. 11 lib. VIII c. 5, 23.

num iis excoli voluit, et pro hac re in Canonicorum habitaculo quoddam domicilium erexit plenum cubiculis, cui titulum graecum inscripsit: *Asceterion,* id est, exercitatorium, ut in eo separati ab aliis singuli commodius rerum divinarum meditationibus vacarent [1]).

Quotiescunque suscipiebat itinera vel Romam, vel ad alia loca sacra, accipiebat aliquem e Societate sacerdotem, cujus in rebus spiritualibus directione itineris tempore uteretur et a quo quotidie vesperi puncta meditationis pro die sequente proponerentur [2]).

Alumnis Collegii Helvetici a se fundati scholas Societatis ut adirent, praescripsit [3]).

Ad mortem se dispositurus ultimo vitae suae mense a P. Francisco Adorno e Societate Iesu sibi dari exercitia spiritualia S. Ignatii voluit, *ut regeretur,* inquit Giussanus, *ab ejus directione et penderet ab ejus obedientia, tanquam ab homine sanctae vitae et multae experientiae in rebus spiritualibus ac regimine animarum, quo solebat uti ordinarie in similibus necessitatibus. In hoc secessu sacro, vacans exercitiis S. Carolus, ipse ante diem ferebat lumen P. Adorno, ut is deinde excitaret Cardinalis familiam, eadem spiritualia exercitia jussu Cardinalis ibidem facientem. Tanta autem reverentia prosequebatur S. Carolus P. Adornum, Confes-*

[1]) Ib. lib. VI c. 5. [2]) Ib. lib. V c. 5. 6. [3]) Ib. lib. V c. 12.

sacrum suum et Patrem spiritualem, ut ante eum cum accenso lumine transiens, semper illi reverentiam profunda capitis inclinatione exhiberet, quamvis eum quandoque dormientem videret [1]).

In ultimis vitae suae horis S. Carolus in qualibet re exquirebat consilium P. Adorni et dependebat in omnibus ab obedientia illius, tanquam Patris sui spiritualis et Confessarii (inquit Giussanus), *qui etiam morienti S. Cardinali astitit, crucifixum in manu tenens, et res divinas in memoriam revocans* [2].

Sancta quoque Teresia, notae in toto terrarum orbe sanctitatis et sapientiae virgo, illustrissima tot religiosarum personarum fundatrix et reformatrix clarissima, suis exemplis, verbis et scriptis mirifice Societatem commendavit et honoravit.

Inprimis multis Societatis sacerdotibus usa est pro suis confessoribus et directoribus ac magistris in vita spirituali, quemadmodum ejus vitae scriptores testantur. Non tantum P. Franciscus Ribera, sed etiam Ioannes a Iesu Maria, Discalceatus Carmelita, et Didacus Iepesius, Archiepiscopus Purriasinensis, et quod majus est, ipsa S. Teresia in Vita sua fatetur, ut paulo post apparebit [3]).

---

[1]) Ex I. P. Giussano. Vita S. Caroli Borom. lib. VII c. 11. [2]) Ib. lib. VII c. 12, 14 lib. VIII c. 3. [3]) Ribad. lib. IV c. 7. Ioann. a Iesu Vita S. Teres. lib. I c. 1 et 10 lib. IV c. 4, 5.

Confessarii autem et Patres spirituales e Societate, quorum consiliis et directione usa est S. Teresia, hi a praedictis auctoribus nominantur: B. Franciscus Borgia, P. Antonius Araoz, P. Aegidius Gonzalez, P. Balthasar Alvarez, P. Martinus Guttierez, P. Salazar, P. Ripalda, P. Paulus Hernandez, P. Rodericus Alvarez, P. Satanderius, P. Franciscus Ribera, P. Henricus Henriquez, P. Bartholomaeus Perez, et alii rerum divinarum consultissimi.

Qua de re sic S. Teresia scribit in Vita sua: *Laudatus sit Dominus, quod mihi gratiam dederit obediendi meis confessariis, quamvis imperfecte, qui quasi semper fuerunt isti benedicti homines Societatis Iesu, etc. Coepit postea anima mea sentire manifestam meliorationem, sicut nunc dicam* [1]).

Et alio loco scribit haec Sancta: *Mansi in hac caecitate, credo, plus quam septemdecim annis, donec quidam Pater S. Dominici valde doctus mihi aperuit oculos in aliquibus rebus, et illi ex Societate Iesu totaliter mihi incusserunt tantum timorem* (scilicet non parvi faciendi quaedam peccata venialia, quae quidam rudes confessarii dicebant S. Teresiae non esse peccata) *aggravando mea adeo mala principia, sicut postea dicam* [2]).

Alter modus, quo S. Teresia Societatem Iesu commendavit, situs est in miris laudibus Societatis, de qua haec scripsit in Vita sua: *Cum*

[1]) S. Teres. Vita c. 23. [2]) Ib. c. 5.

venissent huc Patres Societatis Iesu, quibus ego, non cognoscendo adhuc eorum, eram multum addicta, tantum, quia sciebam modum eorum ita vivendi sicut erandi: sed non me inveniebam dignam loquendi cum illis, nec fortem ad obediendum illis [1]).

Et infra: *Fuit propter majus bonum, ut ego cognoscerem et tractarem cum gente adeo sancta, qualis est Societas Iesu.*

Et alio in loco ejusdem capitis sic ait: *Affligebar, quod domestici me viderent tractantem cum personis adeo sanctis, uti erant illae ex Societate, timens miseriam meam, et videbar magis esse obligata, ne essem adeo misera, et ut me privarem meis recreationibus otiosis.*

Et alibi sic scribit: *Habitabam prope illos* (scilicet Patres Societatis Iesu, de quibus ibi egit) *gaudendo valde, quod tractarem frequenter cum illis; quia tantum cognoscere sanctitatem illorum conversationis erat magnus profectus, quem anima mea sentiebat* [2]).

Et alio in loco: *Consolabar multum, quod scirem, in loco illo esse domum Societatis Iesu* [3]).

Extat quoque S. Teresiae epistola scripta Abulae anno 1568 28 Iulii ad Christophorum Rodriquez de Moya, cum ille Segurae de la Sierra erigere percuperet Claustrum discalcea-

---

[1]) Ib. c. 23. [2]) S. Teresia. Vita c. 24. [3]) Ibid. c. 33. [4]) Imago primi saec. lib. V c. 11 pag. 675. And. Luc. Vita S. Ignatii lib. V c. 26.

tarum Virginum, in idque suas filias ipse inducere, ea tantum lege, ut Societatis directioni tam filiae quam reliquae abs se fundati Coenobii Virgines subjacerent. S. Teresiae sententia verbotenus ex hispanico latine sic sonat:

Homines Societatis Iesu sunt mei Patres, quibus post Deum debet anima mea bonum omne, si quod habet. Filiabus tuis afficior ex eo, quod intelligam, eas cum Patribus istis agere solitas; nec enim quaevis, spirituales licet sint, illico conveniunt nostro Instituto, nisi quibus illi a confessionibus sunt; quales sunt prope modum omnes monasteriorum nostrorum alumnae; neque memini ullam recepisse me, quae non esset illorum filia, quandoquidem eae praesertim nobis aptae sunt. Equidem gratias ago Deo, quod eorum, qui me genuere, Patrum spiritus mea in coenobia ab iisdem transfusus sit. Itaque Reverendissimus Generalis Noster, nuper hac transiens, ita praecepit, ut Patres Societatis exhortationes haberent ad nostras, nec ullius auctoritate prohiberi possent, absolverentque passim confiteri volentes. Obstare quidem constitutiones eorum, non vetare quidem, quo minus interdum id fiat, nobisque inter agendum recte consulant; quod faciunt magno cum fructu. Desiderium tuarum filiarum, ut novum illud coenobium tuum Patrum curae subiiciant, idem et meum est. Scito tamen, illos id non admissuros, esset licet principum feminarum, qualia, modo vellent, ex hoc multa haberent; adeoque quod optas, fieri non potest. Benedictus sit

Deus, habere nos prae aliis libertatem agendi cum Patribus istis, quam nec auferet ullus unquam, neque aufert.

Tertio modo S. Teresia honoravit Societatem, seu potius Deus per eam, quia res eximias ei revelavit, tum de universa Societate Iesu, tum de variis ejus personis. Qua de re sic ipsamet scribit in Vita sua: *De aliquibus Religiosis unius certi ordinis et de toto ordine simul vidi magnas res, vidi illos in coelo cum vexillis albis in manu aliquoties et alias res similes magnae admirationis; propter quod habeo dictum ordinem in magna veneratione, quia longo tempore conversata sum cum illis, et video illorum vitam conformem ei, quod Dominus de ipsis mihi monstravit* [1]).

Porro per hos Religiosos et per hunc ordinem S. Teresiam intellexisse non alium quam Societatem Iesu, testatur ejus familiaris et confessarius P. Franciscus Ribera, ob praeclaros commentarios in Prophetas minores et ob alios libros editos toti orbi notissimus, in ea, quam scripsit S. Teresiae Vita, in qua etiam asserit, *S. Teresiam in sua manu scripta originali vita expressisse hoc loco nomen Societatis Iesu et oretenus idem narrasse* [2]). Quod etiam confirmavit Sanctius de Avila, Episcopus Seguntinus, confessarius S. Teresiae [3]).

[1]) S. Teres. Vita c. 38. [2]) Ribera S. I. Comm. in proph. min. lib. IV c. 5. [3]) Imago primi saeculi S. I. pg. 676.

Porro vitam S. Teresiae a P. Ribera conscriptam appellat *historiam fide dignissimam* R. P. F. Ioannes a Iesu Maria, Carmelita discalceatus, vir sanctus, officio Praepositi Generalis in suo Ordine functus, integritate corporis post mortem et aliis sanctitatis ornamentis illustris, in compendio Vitae S. Teresiae, a se prima vice edito Romae anno 1609 ibique impresso et dicato Paulo V. Pontifici Maximo [1]).

Eadem S. Teresia alio loco sic de Societate Iesu loquitur, teste Ribera, et ipsamet scribit in Vita sua, et testatur R. P. F. Dominicus Graccina Dominicanus [2]): *Manens quadam vice in oratione, cum magna recollectione, suavitate et quiete, videbar esse circumdata ab Angelis et valde vicina Deo, coepi orare suam majestatem pro Ecclesia. Fuit mihi indicatus magnus profectus, quem debebat facere quaedam Religio temporibus ultimis, et fortitudo, cum qua debebat sustentare fidem etc.* Ribera vero loco citato ponit haec ipsa verba tunc S. Teresiae dicta a Christo Domino de Societate Iesu: *Si vero* (inquit Christus Dominus) *scires, quas hi futuris saeculis Ecclesiae laboranti modo suppetias sint laturi.* Hanc sibi ait visionem etiam saepius oblatam. *Etsi vero,* inquit Ribera, latine redditus a Martino Martinez, *in illa Te-*

[1]) Ioann. a Iesu Vita S. Teresiae lib. I c. 1. [2]) Ribera S. I. Vita lib. IV c. 5. S. Teres. Vita c. 40. Domin. Graccina Vox turturis p. II c. 32.

siae Vita, quae typis edita circumfertur, suo haec humilia singillatim non indicetur nomine, in ipso tamen autographo et in omnibus, quos videre contigit, calamo exaratis libris, illius nomen aperte proditum est. Haec quidem Redemptoris Iesu verba, infra cap. 40. rursus repetit, non tamen declarato Religionis ipsius nomine. Quod tamen dixi, certissimum est et ipsiusmet Teresiae ex ore acceptum. Haec Ribera et ejus interpres Martinez.

Eadem alio in loco sic scribit: *Cum essem in quodam templo Societatis Iesu et communicarent Fratres illius domus, vidi pretiosam vestem seu umbellam aut baldachinum* (italice pallio) *supra caput illorum. Hoc videbam, sed quando aliae personae communicabant, hoc non videbam.*

Eadem alibi sic habet: *Cum essem in quodam templo Collegii Societatis Iesu, cum illis magnis afflictionibus, quas sensi in animo et corpore, audiendo Missam, quam quidam Pater dicebat pro uno fratre Societatis mortuo, vidi illum ire ad coelum cum multa gloria et ex particulari favore cum comitari Majestatem Domini nostri.*

Eadem teste Didaco Iepesio, Archiepiscopo Turriasonensi, in ejus Vita, *Deo revelante scirit mortem quadraginta Patrum et Fratrum Societatis Iesu euntium in Brasiliam ab haereticis occisorum, statimque ac illos occiderunt, dixit P. Balthasari Alvarez, suo confessario, se eos vidisse cum coronis Martyrum in coelo.*

Eadem teste F. Elia a S. Teresia et auctore

Vitae P. Suarez *longe inde in Hispania existens animam Patris Martini Guttierez* (in Gallia defuncti) *in ipso mortis articulo vidit orantem et Martyrum laureola donatam coelum recta conscendere.*

Porro notandum est, Antonium Kerbekium Augustinianum in latina versione Vitae S. Teresiae, edita Moguntiae anno 1603 typis Ioannis Albini, omisisse haec et fere omnia alia, quae sunt a S. Teresia in commendationem Societatis Iesu scripta. Cur autem omiserit, non est difficile divinare scientibus, quo modo Religiosi Societatis Iesu adhuc tractentur a quibusdam Religiosis privatim et publice, verbo et scripto.

Eadem S. Teresia, *audiens quadam die sacrum P. Balthasaris Alvarez e Societate Iesu, sui confessarii, vidit eum toto tempore, quo sacrum duravit, habere in capite diadema quoddam magni splendoris;* ut scribit in Vita impressa P. Alvarez P. Ludovicus de Ponte [2]), Vitam autem latinam cito:

Eadem Deo revelante cognovit dictum, P. Alvarez fore salvum, ostenditque illi Dominus Noster praestantem quendam locum in coelo, quem esset habiturus, et adjecit, quod ille tunc in terra esset adeo in excelso perfectionis gradu constitutus, ut eo tempore nullius esset in altiori, et juxta talem gra-

[1]) Elias a Iesu Legatis Eccl. triumph. lib. II c. 31.
[2]) L. de Ponte S. I. Vita P. Alvarez S. I. c. 6 § 1.

dam reddendos illi gradus in coelo. Quo tempore plurimi erant insignis sanctitatis in Ecclesia et in ipsa Societate et extra illam (postea canonisati et beatificati). *Hanc coelestem revelationem ipsamet S. Teresia retulit et Patri Alvarez et multis aliis Societatis Patribus et aliquibus suis monialibus aliisque personis religiosis, quae id tanquam certissimum referebant. Quin etiam eandem revelationem S. Teresia notavit in secretioribus suis chartis, quae postea pervenerunt ad manus Didaci Icpesii, Episcopi Turriasonensis, qui Sanctae hujus vitam hispanice edidit anno 1606 et Paulo V. dicavit et in eis eam legit aliisque legendam proposuit:* ut scribit P. Ludovicus de Ponte in Vita Patris Alvarez [1]).

Eadem S. Teresia, interrogata a quadam sua moniali, an sibi expediret cum sancto illo Patre Balthasari agere, respondit: Magna Dei erga te esset misericordia, nam talis est, cui anima mea prae omnibus aliis plus debet in hac vita, et qui prae aliis adjuvit me ac direxit in via ad perfectionem. Ita scribit P. Ludovicus de Ponte in Vita P. Alvarez, et F. Elias a S. Teresia in legatione triumph. Eccl. ad militantem [2]).

Eadem S. Teresia multis annis post suam mortem apparuit cuidam famulae Dei, S. Matri Teresiae valde devotae, probatae virtutis et fi-

[1]) Ib. c. 11 § 2. [2]) Ibid. c. 11. Elias a S. Teresia. Legatio triumph. Eccl. ad milit. lib. II c. 31 n. 26.

dei, et volens ipsam in quadam afflictione magna solari, inter alia multa haec verba ei dixit: *Et ego sum filia Societatis, habui in ea confessarium, quem nunc in coelo et cognosco et veneror. Quod intellexit de P. Alvarez. Nam etsi alios quoque multos ex Societate confessarios habuerit, hic tamen diuturnior fuit ipsamque a calumniis multorum defendit et magna cura prae aliis excxit ad praecelsa sua desideria executioni mandanda, et de quo ipsa gloriabatur, quod confessarium et magistrum spiritus illum habuerit.* Ita P. Ludovicus de Ponte in Vita P. Alvarez.

Magnae autem auctoritatis et fidei esse debent apud omnes hae S. Teresiae revelationes, tum quia sunt Sanctae canonisatae, tum quia ante ejus canonisationem, ea et vivente et mortua fuerunt examinatae et approbatae a viris sanctis, doctis, et rerum spiritualium ac discretione spirituum praeditis.

Sane B. Petrus de Alcantara, a Gregorio XV. catalogo Beatorum adscriptus, dicebat, *exceptis fidei catholicae assertionibus nihil sibi certius quam spiritum Teresiae esse divinum.* Beatus quoque Franciscus Borgia, cum, ea id ab ipso petente, examinasset ejus spiritum et orationis modum, valde eum probavit, ut ipsamet scribit in Vita sua. Hoc ipsum judicium de ejus revelationibus fuit aliorum virorum eximiorum: Ioan-

[1]) L. de Ponte S. I. Vita P. Alvarez S. I. c. 58 § 1.

nis Avilae, Ludovici Granatensis, Dominici Barnes, Bartholomaei Medinae et aliorum apud Ioannem a Iesu Maria libro I. capite 1. et Riberam libro IV. capite 7. nominatorum, virorum omni exceptione majorum.

Sanctus quoque Philippus Nerius magnopere Societati Iesu fuit addictus. Nam diu usus est confessario e Societate Iesu, Patre Ioanne Baptista Perusco, antequam Caesar Baronius, (postea ad Cardinalatum promotus) factus esset Praepositus Generalis Congregationis Oratorii. Quo etsi tunc pro suis confessionibus uti coepisset, quia Pater Peruscus in domicilio valde distante habitabat, solebat tamen aliquoties in anno venire S. Philippus ad Patrem Peruscum eique suam conscientiam in confessione aperire, quod ab ipsomet Patre Perusco audivi Romae, primo post S. Philippi mortem anno, quo coepit publicis honoribus a pietate praesulum, procerum et civium Romanorum coli tanquam sanctus magnus. Et merito, fuit enim enim ex illustrissimis S. Ecclesiae Sanctis.

Habuit quoque in more, sat diu, cum omnibus suis Patribus diebus festis ad templum Societatis Domus professae Romanae accedere ad audiendam concionem seu lectionem sacram pomeridianam P. Emanuelis Sa, uti audivi ab oculatis testibus non semel. Hoc non contentus, vivente S. Ignatio, cui erat familiarissimus, vehementer institit ante fundatam Congregatio-

nem Oratorii, ut eum in Societatem Iesu reciperet. Sed divino plane consilio factum est, ut illum recipere noluerit, quem Deus ad aliam sancte vivendi rationem elegerat, piis sacerdotibus juvandis, qui cuperent sine oneribus et difficultatibus religiosae disciplinae, remoti a curis et periculis saeculi, vitae integritatem sectari et aliis prodesse. Hoc ex ore S. Philippi se accepisse Robertus Cardinalis Bellarminus, magnus S. Philippi amicus, Romae mihi dixit anno 1596, et postea hoc ipsum se ab ipsomet S. Philippo audivisse mihi narravit A. R. P. N. Generalis Mutius Vitellescus anno 1630, et meo rogatu postea scriptum hac de re testimonium, reliquit in archivio Romano anno 1636. 28 Iul., cujus unum exemplar authenticum penes me est, estque ejusmodi:

Reverende in Christo Pater

Pax Christi.

Quod Reverentia Vestra litteris 22 Maji datis a me petit ac scire desiderat, an S. Philippus Nerius Societatem Nostram, antequam Congregationem Oratorii instituisset, ingredi voluerit idque a S. Patre Nostro Ignatio petierit, et hic illi certas ob causas negaverit, ego id affirmare optima fide possum verum esse, et S. Philippum id a S. P. Ignatio petiisse; ut enim alios testes omittam, qui idem asserere possunt, ego firmissima adhuc memoria teneo, S. Philippum non semel id mihi in familiari

colloquio affirmasse, ut proinde Rever. Vestra tam certo id ac firmiter possit credere, quantam meis verbis adhibendam esse fidem existimaverit. Atque hisce me sanctis Reverentiae Vestrae sacrificiis et orationibus iterum iterumque commendo. Romae 28 Julii 1636.

Reverentiae Vestrae
Servus in Christo
Mutius Vitellescus.

Quamvis autem ad Societatem a S. Ignatio admissus non fuerit, illam tamen semper amavit et aliis commendavit et cum S. Ignatio conjunctissime vixit [1], et tanquam magnum Sanctum veneratus est, tum ob alias causas, tum quia saepe videbat S. Ignatii faciem coelestibus coruscantem splendoribus et miros lucis supernaturalis radios emittentem, *in signum*, ut ipse dicebat, *internae ejus sanctitatis*, ut scribunt ejus vitae scriptores, et ego a S. Philippi familiaribus, qui hoc ex ore ejus audierunt, accepi anno 1616, dum Romae adessem primae solemnitati factae in primo ejus anniversario in templo, in quo sepultus est.

Ad Sancti quoque Ignatii consilium in rebus dubiis confugere solebat, cujus et, cum angeretur animo, vel solo recreabatur aspectu. Mortuo vero Ignatio ad ejus sepulchrum venie-

[1]) Rib. in Comp. Vitae S. Ignatii pg. 382. [2]) Baccius lib. III c. 1 n. 2. Aug. Mannus c. 261 selectae historiae.

bat, cum esset in aliqua necessitate constitutus, et inde se mire adjuvari sentiebat, quemadmodum ipse S. Philippus narravit dilecto suo spirituali filio, Abbati Marco Antonio Maffae Salernitano, et is Andreae Sorbellongo, magnae auctoritatis Praelato, postea Episcopo Eugubino, qui id jurejurando testatus est, dum processus pro S. Ignatii canonisatione conficerentur; inter quos insertum hoc Sorbellongi Episcopi jurejurando confirmatum testimonium non semel legi.

CAPUT IV.

De aliorum Sanctorum nondum canonisatorum erga Societatem Iesu benevolentia.

Praeter hos in Sanctorum numerum relatos non minore benevolentia et honore Societatem Iesu prosecuti sunt omnes ii, nullo prorsus excepto, qui primo Societatis saeculo ob vitae sanctimoniam et insiguium miraculorum gloriam sunt ab Apostolica Sede in Beatorum catalogum rite relati et concesso divino officio ac sacrificio missae Deo in memoriam et cultum eorum offerendo honorati, aliique eodem honore et cultu postea, ut spes est, conferendo digni.

Inter hos primus Regni Arragoniae Archiepiscopus et Patriarcha Valentinus, ex Sacra S. Augustini familia, fuit B. Thomas de Villa-

cova, a Paulo V. Beatorum Pontificum adscriptus catalogo, eximia vitae sanctitate ornatus et miraculorum luce illustris, copiose in libris aliquot a Francisco Soto descriptorum. Is Valentiae fundatum Societati Collegium adeo amavit et in pretio habuit, ut, si quem ex Patribus Societatis amoveri Valentia cerneret, amanter expostularet, sibi auxilium detrahi, eo quod nostrorum hominum opera ad omnes episcopalis muneris functiones cum sacerdotibus communes perpetuo magna cum commendatione et suarum ovium ingenti utilitate ac profectu uteretur, et sua cum illis consilia communicaret, ac si non Antistes esset doctissimus, libris praeclaris typo vulgatis celebris, sed unus ex infimo cleri gradu. Moriturus vero cum quandam haberet in nominibus pecuniam, nam fere aliam non habebat quam pauperum manus, ejus partem ampliorem Collegio Valentino legavit, ratus, illi hominum coetui copiosiorem eleemosynam donandam, per quos viderat, et plures adduci ad christianam pietatem animas catholicorum et haereticorum ad Christi ovile; pluribusque per eosdem instrumentis ac mediis non tantum provectae, sed etiam tenerae ac crescentis aetatis homines non modo virtutum, sed etiam morum civilium ac honestarum artium excoli disciplinis et ad S. Ecclesiae ac reipublicae ornamenta auxiliaque formari.

Huic coaevus ex sanctissimo Praedicatorum

Ordine Ludovicus Beltranus, seu, ut alii nominant Bertrandus, non tantum Beati appellatione ab Apostolica Sede officioque divino ac missa ornatus, sed Sancti titulo ab Hispanis et Italis historicis jure optimo honoratus, regni Valentini splendidissimum lumen toto, quo vixit tempore, et in Europa et in Occidentali, ad quam secesserat, India Societatis fuit non amicus tantum addictissimus, sed etiam patronus adeo manifestus, ut plurimum accesserit nostro nomini apud omnes, cum cunctis pateret, a tanto viro non virtutum tantum eximiarum splendore, sed miraculorum quoque insignium luce illustri, non solum Societatem amari, sed etiam honorari atque ab adversariorum calumniis defendi. Is praeter alia erga Societatem honoris argumenta P. Hieronymo Domenecho e Societate nostra confessario utebatur et ad consilia adhibebat; imo cum de transeundo ad alium Ordinem (uti scribitur in ejus Vita) cogitaret, etiam de amplectenda Societate deliberavit, sed cum per leges Societatis id fieri non posset, unus e Nostris (a quo id Romae audivi) id ei dissuasit.

Quantus autem vir ille sanctissimus fuerit, fuse ostendunt ejus Vitae scriptores nobiles, tum ex S. Dominici Ordine, tum alii, tum testes in processu ejus canonisationis examinati. Nam cum esset in Occidentalibus Indiis et verbum Dei praedicaret hispanice, Indi, qui linguam non callebant hispanicam et variis ute-

bantur linguis, vim tamen ejus verborum intelligebant. Inter eos mortuam puellam revocavit ad vitam, venenum bibit abunde sine nocumento ullo, plurimos aegrotos tum ibi, tum in Hispania vivens sanavit, ingens incendium et terrorem injiciens cunctis, qui videbant, formans super illud crucis signum in eodem instanti ita restinxit, ut statim penitus penitusque cessaverit. Multa futura praedixit, multa absentia cognovit, cogitationes occultissimas cordium patefecit, uti et peccata in confessione celata. Sed hoc est rarius et fere mirabilius. Cum Valentiae quidam ob remotam a se suasu B. Bertrandi concubinam eum occidere voluisset et contra eum exonerare bombardulam conaretur, repente vidit, eam in sua manu in Christi crucifixi sculptam imaginem esse conversam. Quo miraculo commotus ex equo desiliit et procidit ad pedes Sancti, veniam petiit et vitae melioris inchoationem promisit. Cum vero B. Bertrandi anima separaretur a corpore, luculenta quaedam lux seu splendor instar lucidissimi radii ex ore morientis exire visus est, qui mirifice totum illustravit cubiculum et omnes adstantes, qui frequentes undique convenerant, non mediocri stupore et consolatione affecit. Tanto insuper tamque admirando splendore B. Viri cadaver coruscavit, ut circumstantes haud secus quam in limpidissimo speculo proprias effigies in lucentibus ejus carnibus intuerentur. Dum vero ante

sepulturam corpus ejus asservaretur, audita est a compluribus, tam in templo quam in monasterio, suavissima coelestis harmonia et suavissimus odor ex toto ejus corpore ab astantibus percipiebatur. O felicissima Societas Iesu, quae primo tuo saeculo tantae sanctimoniae virum tui non tantum amantem, sed etiam laudatorem et defensorem habuisti, et quamvis non re, quia id per Societatis leges non licuit, plena tamen deliberatione animi socium.

Praeter hunc etiam Ioannes Mico, Hispanus doctissimus ex sacra Dominicana familia Theologus, fama miraculorum inclytus, tanti Societatem Iesu a se tenerrime amatam fecit, ut perditos homines implicatissimaeque conscientiae, cum sani esse vellent et suos mores componere animos induxissent, auxilii consiliique causa mitteret ad nostros, majore cum Societatis laude quam referre modestum sit. Porro hac re non contentus a malevolorum obtrectationibus Societatem vindicabat, ejusque palam crebro consuetudine utens magnopere Societatis existimationi consulebat.

Hoc ipsum experta est Societas ab Alexandro Capochio Florentino ex eodem S. Dominici Ordine, multis praedictionibus propheticis aliisque verae sanctitatis indiciis commendato, descriptis a Seraphino Razzio cum aliis Beatorum Beatarumque vitis, in Tuscia oriundis.

Hunc etiam benevolentiae et venerationis

affectum erga Societatem habuere B. Cajetanus Thyaeneus, Fundator Clericorum Regularium, ab Urbano VIII, et B. Andreas Avellinus, a Paulo V Beatis aggregati, et B. Ioannes Marionus ex eodem illustrissimo Ordine Clericorum Regularium, quos vulgus Theatinos appellat, omnes in Italia fama sanctitatis indubia commendati, et ab historicis fide dignissimis in Vitis eorum impressis merito laudati.

His accessit Petrus Nicolaus Factorius, Ordinis Minorum de strictiore observantia sacerdos, admirabilibus Dei donis ac virtutibus cumulatus, accurate descriptis a Christophoro Moreno et aliqua ex parte a Thoma Bozio commemoratis. Is Societatis homines ejusque Institutum eximiis laudibus paene ad aliorum invidiam extollebat beatosque putabat, qui eorum consiliis ac directione spirituali uterentur, occurrentes sibi tanquam Angelos venerabatur, summa benevolentiae et cultus significatione. Solebat vir iste, coelestem magis quam terrestrem vitam ducens, frequenter etiam in publicis locis ab omnibus abstrahi sensibus, mortuo similior, in quo raptu quandoque viginti quatuor horas integras traducebat. A multis visus est quandoque immensa luce circumfulgens, plurimis plurima praedixit, aliorum cogitata saepe praevidit, atque ipsis cogitantibus, qui nihil eorum cuiquam fuerunt effati, detexit; saepius absentibus ac longissimo locorum intervallo sejunctis

vocatus in vota apparuit temporis momento, multos a morbis mirabiliter liberavit, quibus de improviso invocatus adhuc vivens apparebat.

Simili amore et observantia prosequebantur Societatis Institutum et personas B. Ioannes de Deo et B. Felix Capurinus ab Urbano VIII. ob clarissimam vitae sanctimoniam ac miraculorum splendorem relati in Beatorum Confessorum numerum.

Eodem benevolentiae affectu persecutus est Societatem Alexander Saulius, ex piisima Congregatione S. Pauli, vulgo Barnabitarum dicta, ad episcopale munus in Italia assumptus, qui, uti S. Carolo Borromaeo carissimus, communibus amoris significationibus et studiis auctoritatem apud alios conciliabat Societati maximam.

Denique omnes, quorum notitia ad me pervenit et quibuscum vixi, sanctitatis opinione celebres, summa prosequebantur Societatem nostram benevolentia, uti fuerunt Ioannes Avila, Concionator in Hispania Apostolicus, Gregorius Lopez, Martinus Navarrus, Camillus de Lellis, Fundator Ordinis ministrantium infirmis, Franciscus de Sales, Episcopus Genuensis, qui Societatem tanquam sanctam commendat in praestanti libello gallico de Introductione verae devotionis edito et non semel Neapoli et Romae, italice impresso. Bartholomaeus de Martyribus, Archiepiscopus Bracharensis ex Ordine S. Dominici assumptus, qui etiam Collegium Socie-

tati Bracharente fundavit. Alexander Luzagus, nobilis Brixiensis Societatis Candidatus. Hippolitus Gallatinus, qui ab adolescentia sua et postea Societatis spirituali institutione usus est, et in ejus templo suas devotiones quotidianas expediebat ibique admirabiles visiones habere solebat, quae in ejus Vita Romae impressa, in qua Gregorii XV. concessu Beatus appellatur, multis miraculis ab eo patratis plena narrantur. Hic usus inter alios confessariis e Societate, P. Ioanne Saffarano et P. Antonio Sanctarello, a quibus id accepi, magna verborum significatione protestabatur, se plurimum debere Societati pro spirituali in via Dei institutione. Colitur Florentiae tanquam Sanctus et Apostolus illius civitatis, magno omnium concursu in sepulchro honorifico et splendido reconditus.

Iacobus Candidus, mihi Romae familiariter notus, praestanti doctrina et virtute praeditus, semper Societatem nostram coluit, ab ea philosophicis et theologicis scientiis in Romano Collegio imbutus, quod deinde saepenumero in publicis disputationibus invitatus ad oppugnandas multorum theologicas et philosophicas theses illustravit, etiam tunc, dum a Paulo V. in domesticorum suorum numerum esset adscitus. Is primus fuit, qui ad S. P. N. Ignatii sepulchrum vetus, prope aram maximam positum, votivam tabellam appendit, anno circiter 1599, sua inscriptione insignitam. Idem anno 1600

publicam concionem de S. Ignatii laudibus Romae in nobili Nationis Florentinae templo ad ripas Tiberis magnifice exstructo, habuit, et a me impetravit, ut ei res praecipuas pro illa concione ex S. Ignatii vita decerptas scripto traderem, et, ut deauratis cancellis exornaret, a nobili quodam Florentino impetravit. Factus a Paulo V. in quadam Italiae civitate Episcopus, Deo servum suum honorante et dono admirabili prophetiae et miraculorum gloria illustratus fuit in vita ac post mortem. Legi accurate processum informativum, pro ejus canonisatione factum in episcopatu ejus, in quo praeter multa valde admiranda tres ab eo suscitatos mortuos testium oculatorum jurejurando probatos vidi. Et quo affectu benevolentiae is nostram Societatem prosecutus sit, testes sunt omnes, qui ejus familiari consuetudine usi sunt. Ego sane hoc sancte affirmare possum, me nullum e Nostris in Societate vidisse, qui eum affectu erga Societatem et maxima de ejus sanctitate existimatione superaverit. Quando arrepta occasione minima de rebus nostris verba facere inciperet, non solo ore et gestibus, sed ipso corde loqui videbatur, et quodammodo viscera effundebat in amplissimam Societatis omniumque ejus rerum commendationem. Hoc in eo saepissime pro arcta inter me et ipsum sanctae amicitiae necessitudine et conversatione per multos annos observavi.

B. Iosaphat, Archiepiscopus Polocensis ex Ordine S. Basilii, unionis cum S. Romana Ecclesia promotor indefessus, schismaticis Ruthenis Vitebsci pro Christi nomine et fide catholica et pro sancta potissimum unione cum Ecclesia Romana trucidatus anno 1623 et ab Urbano Papa VIII. Beatorum Martyrum catalogo adscriptus anno 1642. 14 Decembris, et concessa recitatione divini officii ac missae die natalis ipsius, 12 videlicet Novembris, in ecclesiis unitorum Metropoliae totius Russiae honoratus, tanti faciebat Societatem, ut palam diceret, se eum non habere pro bono catholico, qui Societatem Iesu non amaret. Idem cum semel in frequenti Nobilium consessu praecipuae nobilitatis virum acerbius ad mensam contra Societatis homines invehi audiret, graviter injuria Societatis commotus: Apparet, inquit, Magnifice Domine, te non esse ex numero praedestinatorum, qui tam sanctam Religionem verbis adeo injuriosis carpere non metuas. Iamque mensam relinquere statuerat, ni ille finem maledictis fecisset. Dum esset Archiepiscopus Polocensis et alias nostris confitebatur, discedens Polocia adibat Collegium nostrum, benedictionem pro itinere petens. Polociam rediens primum omnium Collegium nostrum invisebat, et tum pro directione spirituali animae suae et oviun suae pastorali curae concreditarum, et pro aliis spiritualibus negotiis consilia a Nostris quaerebat,

et sequebatur instar novitii, ex ore magistri sui pendentis.

Ioannes quoque Baptista Vitellius Fuliginii cum sanctitatis opinione mortuus, uti etiam vixit, summo venerationis et amoris affectu colebat Societatem, ex quo ortum est, ut in privato sui cubiculi oratorio praeter B. Virginis imaginem aliam non habuerit quam S. Ignatii, nostri Fundatoris, et nostri B. Stanislai Kostkae, coram quibus suas ad Deum preces privatas fundebat.

Illustres etiam sanctitate feminae, quae vixerunt a fundata Societate, eam valde coluerunt. Inter quas Antonia Romana ob vitae sanctimoniam a Thoma Bozio merito celebrata et a S. Philippo Nerio laudata, Societatis Patribus pro suis confessionibus ad mortem usa, eorum institutione ac directione gaudebat. Catharina de la Vela in Hispania celebris. Marina de Escobar in Hispania fama eximia sanctitatis celeberrima. Item filiae spirituales nostrae Societatis Pasithea Senensis et Ursula Benincasa, cum fama sanctitatis et miraculorum Neapoli defuncta anno 1618. 20 Octobris.

Claudat hoc caput B. Maria Megdalena de Pazzis, supra nominata et virtutum eximio splendore, et miraculorum in vita et post mortem gloria illustrissima omnibusque gratiis gratis datis ornata, quae magno debet esse solatio addictis Societatis Iesu, et iis, qui ad eam adspi-

rant, incitamento. Nam a pueritia ad finem vitae usa est Societatis Patrum spirituali institutione et directione, et experta in se aliisque, quantum emolumenti inde accedat. Societatis hominum operam ejusque Institutum amabat et aliis commendabat quam maxime. Hinc, ut alia praeteream, ortum est, ut saepe exercitiis spiritualibus S. P. N. Ignatii excoli ipsa voluerit aliasque moniales iis excolere ad magnam sanctimoniae accessionem solita fuerit, ut in ejus monasterio non alii confessarii quam Societatis sacerdotes aliquoties in anno, juxta Concilii Tridentini concessionem, ad generales confessiones suas et monialium mitterentur, vehementer desideravit, et id fore, Deo revelante cognovit; quemadmodum etiam spiritum suum ab omni illusionum in revelationibus et raptibus suis esse liberum, ab uno Societatis Patre declarandum, uti optabat et petebat a Deo pro suae animae securitate ac solatio, divinitus didicit, Deoque pro hac re tanquam pro singulari beneficio gratias egit. Renovationem votorum bis quotannis in Societate usitatam tanquam Deo placentem et merito in ea institutam in raptu quodam commendavit. Rectori Collegii Florentini, suo Confessario P. Virgilio Cepario, dum ordinariam pro more Societatis cum suis consultoribus consultationem haberet, vidit in spiritu, omnia verba, quae proferebat, ei a Spiritu S. inspirari. Et illam ipsam rem, de qua consilia suorum exqui-

rebat, indicavit nominatim cuidam novitiae, olim in saeculo filiae spirituali P. Ceparii. Cum Principissa Maria, filia Serenissimae Etruriae Ducis Francisci, desponsata esset Christianissimo Regi Galliae Henrico IV. et B. Mariam Magdalenam visitasset anno 1600 suasque necessitates ejus precibus commendasset, nominatim autem desiderium prolis masculae, promisit illa, se id petituram a Deo, (imo aliis id fore praedixit) dummodo tria ipsamet ad regium thronum evecta praestaret. Primo, ut procuraret apud majestatem regiam, revocari in Galliam Patres Societatis Iesu, dicens illi, hoc esse unum ex magnis obsequiis, quae illa posset praestare Deo in beneficium illius regni. Secundo, ut procuraret extirpationem haeresum, et reduci regnum ad illum statum, in quo erat tempore S. Ludovici. Tertio, ut esset amatrix pauperum.'

Haec Dei et Sanctorum judicia et favores Societati praestiti sufficientem iis, qui ad eam vocantur, ad amandam hanc Religionem et amplectendam et ad spernenda judicia contraria hominum, vel improborum, uti sunt haeretici et catholici scandalose viventes, vel proborum, non noscentium intime Societatis Institutum et procedendi modum, aut a malevolis deceptorum falsis informationibus. *Sanctorum enim judicia,* inquit S. Chrysostomus, *nec ad gratiam neque ad inimicitiam finiunt, sed ab omni sunt dubitatione libera.*'

Ad hoc caput referri potest, quod Deus severe puniat in altera vita eorum animas, qui in Societate vacillarunt in vocatione, etsi eam non deseruerint. Mea memoria ante annos circiter sexaginta apparuit Vilnae noster quidam Coadjutor Sartor P. Petro Skargae post mortem. totus igneus, in ferreo unco parieti infixo fauces transeunte appensus, et causam dixit esse vacillationem suam circa vocationem, hoc est negligentiam in repellendis tentationibus suadentibus. ut Societatem desereret. Aliud, ut omittam multa alia, contigit Iaroslaviae, quod hic referam, illis ipsis verbis, quibus scriptum est ab iis, qui fuerunt eo tempore in illo Collegio.

Circa annum 1630 in Collegio Iaroslaviensi Societatis Iesu apparuit quidam frater e nostris piae memoriae P. Ioanni Wienensi, dicens, annis quatuordecim se fuisse detentum in purgatorio ob vacillationem in vocatione, ad quam tamen deserendam non consenserat, petens ab eo orationes. Postridie bonus Pater in recreatione eam retulit visionem, orationes pro eo efflagitans, sed derisus est, non solum coram praesentibus, sed etiam coram veniente cum R. P. Rectore P. Stanislao Bronowski, qui per jocum dixit P. Wisnensi, ut eum participem efficeret earum visionum. Promisit P. Wisnensis, et ecce, cum venisset intempesta nocte ille idem mortuus ad P. Wi-

snensem, remissus ab eo est ad P. Bronowski. Venit igitur ad cubiculum dicti P. Bronowski, Rectoris tum Iaroslaviensis, pulsat, intrat, in medio cubiculi consistit. Inopinata visione perterrefactus P. Bronowski, ocius egredi eum e cubiculo jubet, orationes Patrum et Fratrum promittens. Postridie P. Wisnense vocato et, quod jocum ejus non intellexisset, paterne correpto (post eam etiam visionem statim in morbum incidens aliquot paroxismis incredulitatem suam P. Bronowski luit) jussit, ut mortuum iterum ad se remitteret. Sequenti igitur nocte venit defunctus ad P. Rectorem et cum eo placide collocutus est, in discessu etiam amplexatus cum mira animi delectatione, quod eum amplecteretur, qui certo in coelo futurus erat. Haec cum ab aliis, tum ab ipsomet P. Stanisłao Bronowski, pro Superioratu Perejaslavum discedente, audivi Ostrogii, dum ei pedes ut hospiti, qui eo venerat, lavarem. In fidem hujus rei me subscripsi, rogatus a R. P. Nicolao Lancicio. Cracoviae 29 Augusti 1642.

Stanislaus Szczepanowski Societatis Iesu manu propria.

Hanc ipsam historiam confirmavit et fusius descripsit meo rogatu R. P. Matthias Paluszkiewicz, Theologiae professor et in Collegio nostro Cracoviensi theologicorum studiorum Praefectus, qui eo tempore Iaroslaviae Rhetoricam

in Collegio nostro docebat, et nomen hujus fratris, magistri infimae Grammaticae, qui P. Wisnensi et P. Rectori apparuit, ait fuisse Alberti Mohowski. Quod ipsum confirmavit R. P. Ioannes Krempski, professor Theologiae in Collegio Cracoviensi, qui tunc, dum haec res contigisset Iaroslavia et publice narraretur, tertium probationis annum juxta morem Societatis peragebat. Amborum scripto data mihi testimonia indubitata hac de re conservo, et haberem hac de re testimonia P. Bronowski et P. Wisnensis, quibus hic motuus apparuit, sed pridem sunt pie mortui, antequam hujus rei notitia ad me pervenisset.

CAPUT V.

Responsio ad ea, quae Societatis hominibus objiciuntur.

Quod legimus in Sacris Litteris a Iudaeis S. Paulo Apostolo dictum de primitiva et florente Christi Ecclesia, *quia ubique ei contradicitur* [1]) hoc experitur Societas Iesu ubique et semper experta est et experietur deinceps, si erit Deo accepta et si sua munia recte obibit sine humanis respectibus, ad solius Dei gloriam

[1]) Act. Ap. 28, 22.

sincere promovendam et defendendam intenta. Quia, ut ait Apostolus, *quem diligit Deus, castigat* [1]). Et, ut ipse Dominus dixit in alio loco per dilectum suum discipulum: *Ego, quos amo, arguo et castigo* [2]). Et hic fuit Dei mos semper. Hinc Proverbiorum libro scriptum est: *Quem diligit Deus, corripit, et quasi Pater in filio complacet sibi* [3]). Quocirca hanc S. Raphael causam attulit tribulationum Tobiae: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te* [4]). Ideo dum Nostri in Lusitania *non inutiliter nec per ignaviam tempus exigerent, eisque ingenti populi plausu ad voluntatem fluerent omnia, unum illud crucis amatores angebat, quod nullis insectationibus exercerentur; quibus si diu carerent, dicebat Xaverius, videri sibi nequaquam fideliter militare* [5]). Didicerat hoc a S. P. Ignatio idem sentiente. *Quocirca cum Archiepiscopus Toletanus Silicaeus in templis curasset edici anathema, ne quis e suis popularibus apud Nostros aut peccata confiteretur aut alia Sacramenta susciperet, neque parochus quispiam aut Ecclesiae Toletanae sacerdos quemquam e Societate in suis templis permitteret vel concionari vel vulgo sacramenta praebere, ac ne uti quidem suo injussu ad rem divinam cultu ullo apparatuque sacrorum, Ignatius, re cognita, hilari statim fronte explicataque dixit: Quod iis litteris nunciabatur, id in lae-*

[1]) Hebr. 12, 6. [2]) Apoc. 3, 19. [3]) Prov. 3, 19. [4]) Tob. 12, 13. [5]) Orland. lib. II n. 105.

tis numerandum videri [1]). Ut postea evenit cum magna commendatione Societatis et confusione ejus adversariorum.

Merito in laetis numerandae sunt persecutiones. Primo, quia, ut S. Augustinus scripsit, *conjectura est, cum te Deus immensis persecutionibus corripit, te in electorum suorum numerum destinasse:* nec tantum conjectura, sed certum argumentum eo, quod Apostolus dicat: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui* [2]), id est, ut bene explicat S. Augustinus, Vasquez et Cornelius, praedestinavit ad hoc, ut patiantur sicut passus est Filius Dei. Christi autem tota vita fuit crux et martyrium, ut docent S. Ambrosius, S. Bernardus et B. Laurentius Iustinianus.

Secundo, merito in laetis numerandae sunt persecutiones, quia, ut ait S. Gregorius, *ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit* [3]). Et ut dicit S. Chrysostomus: *Si flagellat proprium filium, quem recipit, qui non flagellatur, fortasse non est in numero filiorum* [4]).

Tertio, quia, ut scribit S. Leo: *Quanto stu-*

[1]) Orl. lib. XI n. 60. [2]) Epist. ad Rom. 8, 29. S. Aug. in ps. 83. Vasq. In I p. S. Thom. qu. 29. Cornel. a Lap. in l. c. Ambros. lib. de inst. Virg. c. 15. S. Bern. de pass. c. 5. S. Laur. Iustin. de grad. perf. c. 9. [3]) S. Greg. M. Epist. l. IX 39. [4]) S. Chrys. hom. 29 in epist. ad Hebr.

diosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius adversarii impetent [1]).

Verumenimvero, quemadmodum S. Stephanus Protomartyr [2]) a quinque classibus Iudaeorum persecutiones patiebatur, ita Societas a totidem generibus hominum ea, quae sustinet, patitur: nimirum ab haereticis, ab ethnicis, a catholicis vita scelesta contaminatis, ab aliquibus Praelatis et Ecclesiasticis, ob privatas quasdam causas Societati immerito offensis, denique a quibusdam viris probis, sinistra informatione malevolorum vel levium hominum seductis et deceptis, aut invidia laborantibus. Ut enim B. Laurentius Iustinianus ait: *Diabolus virtutum viros aliter atque aliter impugnat, nunc malorum animos commovet, nunc etiam bonorum sub boni zelo irritat contra illos, fitque divina disponente clementia plerumque iste sic confusus conflictus, ut neque qui impugnatur, neque qui infestus est, mysterium iniquitatis agnoscat.* Sed quae hactenus passa est Societas a talibus per exilia, per carceres, per detractiones, per libellos famosos calumniis et mendaciis plenos, per rapinam bonorum, per usurpationem iniquam ac per impedimenta jurium ei debitorum, per lites injuriosas ei intentatas, per excommunicationes et interdicta in-

---

[1]) S. Leo M. serm. 1 quadrag. [2]) Act. Ap. 6, 9. (M. P. Gr. 73, 203). [3]) S. Laur. Iustin. De int. conflict. c. 5.

justissima proclamata, et aliis ab odio et furore ac invidia inspiratis modis, his similia et majora multi eximii in Sancta Ecclesia Sancti, bene de Ecclesia meriti, passi sunt, ut ostendi allatis exemplis in Opusculo de modis portandae Christi crucis [1]), et alii sanctissimi Religiosorum Ordines, praesertim Mendicantes. *Quid miraris*, inquit S. Isidorus Pelusiota, S. Chrysostomi discipulus, *si sancti etiam viri bello exagitentur? Ex bellis enim praeclariora tropaea atque ornatiora spolia esse videntur* [2]).

Ne tamen haec linguarum et calamorum bella nocerent aliis et a religiosa vita absterrerent ad eam aspirantes, post antiquiores S. Ecclesiae Doctores, Chrysostomum et Hieronymum, S. Thomas Aquinas et S. Bonaventura scribere coacti sunt defensorios tractatus Religiosorum, in quibus responderunt ad ea, quae objiciebantur. Ideo S. Thomas edidit Opusculum decimum nonum contra impugnantes Religionem, et S. Bonaventura Tractatum de Paupertate Christi, et pluribus post annis Opusculum, cui titulus: Apologia Pauperum, scriptum contra Geraldum de Abbatis Villa. Et ille quidem in prooemio Opusculi decimi noni eos, qui impugnant Religiosos, appellat *ministros diaboli, divinae gloriae et*

---

[1]) Opusc. auctoris de portanda Christi cruce c. 4. [2]) S. Isid. Pelus. Epist. lib. III 5. (M. P. Gr. 78, 732). [3]) Wading. Annal. Francisc. tom. III a. 1256 n. 31 l.

humanae saluti invidentis (quos ad persecutionem Religiosorum incitat) et Dei inimicos, super populum Dei, ut ait Psalmista, malignantes consilium, et cogitantes adversus Sanctos Dei et viros coelestes, juxta illud S. Gregorii Papae[1]*: Illos praecipue reprobi in sancta Ecclesia persequuntur, quos multis conspiciunt profuturos, idque eo animo eos ait facere, primo, ut ipsos annihilent, secundo, ut, si hoc non possint, saltem eorum famam destruant apud homines, ut in eis fructificare non possint, ut nomen eorum in fama non habeatur.* Nominatim autem commemorat, antiquos Religiosorum mendicantium inimicos et persecutores *exclusisse pro posse a consortio studentium et conatos esse impedire praedicationem et confessionum audientiam, quibus in populo fructificabant, et paupertatem eorum ac perfectionem vitae blasphemasse, eleemosynas subtraxisse, et non solum verbis eos infamasse, sed etiam litteris per universum orbem directis, non contentos iniquitatem propriam devorare vel proximos laedere, sed, quod semel oderunt, per totum orbem infamare et ubique blasphemias seminare. Et ita, praedictorum malignantium nequitiam comprimere intendendo,* viginti quinque capitibus fuse tractatis, Religiosorum mandicantium vivendi rationem defendit.

Quin et Alexander IV. Papa quosdam Magistros et Scholares ac Auditores Academiae

[1]) Greg. M. Mor. lib. XV c. 5.

Parisiensis Professores, mendicantium aliquos infestantes, in Bulla quadam ait *evidenter cognosci, quod ipsi non pacifici, sed auctores scandali, non Deo sed satanae filii vocari delectantur, charitatis ordinem adeo pervertentes, quod non solum a scipsis, sed etiam ab aliis excludunt damnabiliter pietatis studium ei desiderabilem nobis super omnia salutem impediunt animarum* [1]).

Ego abstinebo a tam gravi censura nos dictis et scriptis denigrantium, sed tanquam amicos tractabo. Magni enim amici sunt, qui nobis suppeditant multas et magnas occasiones meritorum in mundo et coronarum aeternarum in coelo, dum has aequo et libenti animo ferimus ab iis illatas injurias, et eos amando oramus pro ipsis et bona pro malis, benefaciendo reddere fatigamus et reddimus, dum possumus. Factis enim exprimere volumus illam B. Baptistae Veranae Franciscanae doctrinam: *Quando*, inquit, *anima crescit in gratia, non cognoscit amplius inimicos, imo quamlibet personam, quae adjuvat ad salutem* (uti adjuvant offerentes materiam patientiae), *cognoscit pro amico* [2]). Ideo merito sanctus ille monachus Stephanus, laudatus ob id a S. Gregorio Papa, *eum sibi amicum credebat, qui sibi molestiae aliquid irrogasset, et omnes*

[1]) Wading. Annal. Francisc. a. 1256 n. 22. Alex. IV Bulla De quibusdam a. 1256 V Non. Mart. [2]) Chron. Franc. p. II t. 2 l. VII c. 26.

suos adversarios nihil aliud quam adjutores aestimabat [1]). Adjuvabatur enim ab iis ad altum in coelis locum assequendum. Quocirca bene monet S. Chrysostomus, *ut eos, qui hostiliter nos persequuntur, magis diligere studeamus, utpote qui nobis innumerorum bonorum sunt auctores.* [2])

Respondendum tamen est praecipuis sive contumeliis, sive admirationibus et irrisionibus quorundam. Bene enim docet S. Thomas Doctor Angelicus: *Tenemur habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo: Primo, propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, et de caetero talia non attentet, secundum, illud Proverb.: Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur* [4]). *Alio modo, propter bonum multorum, quorum profectus impeditur per contumelias nobis illatas. Unde Gregorius* [5]) *dicit: Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent detrahentium sibi verba compescere, ne eorum praedicationem non audiant, qui audire poterant, et ita in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant.* Nos sane hae contra nos linguarum et manuum sagittae minimae laedunt.

---

[1]) S. Greg. M. hom. 35 in Evang. [2]) S. Chrys. hom. 52 in Gen. (M. P. Gr. 54, 413). [3]) S. Thomas II 2 qu. 72 a 3. [4]) Prov. 26, 5. [5]) Hom. IX in Ezech.

Mundus (ut dixit Deus Pater S. Catharinae Senensi) *percutit exteriorem corticem corporis eorum, putans eos offendere, sed ipse ab eis offenditur: quia sagitta, quae non invenit, ubi possit intrare, illico redit ad sagittantem. Ita mundus operatur cum sagittis injuriarum, persecutionum atque murmurationum suarum, sagittare volens istos perfectissimos servos meos, sed eis nocere non valet. Nam hortus animarum eorum est valde clausus, et non invenit, ubi possit intrare. Ideo sagitta redit ad eum, qui sagittavit veneno culpae venenatae: servos autem meos et amicos nullo modo laedere potest. Et, si forte modicum in corpore laedat, animam vero vel in minimo laedere non potest, immo beata simul et dolorosa consistit. Beata quidem est propter unionem et affectum charitatis, quam habet in se, dolorosa vero propter peccatum proximi* [1]).

Solatur nos inprimis Domini Iesu, Ducis hujus militiae, praemonitio dicentis: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis* absolvendo a peccatis concubinarios, usurarios et similes, potando, saltando, gravia scelera in concionibus, confessionibus et privatis colloquiis non corrigendo, et similia faciendo more mundane viventium *mundus quod suum erat, diligeret. Quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus. Non est ser-*

[1]) S. Catharina Dialog. c. 78.

vus major domino suo; si me persecuti sunt, et vos persequentur [1]).

Solatur nos id, quod scribit S. Chrysostomus: *Fieri non potest, ut qui virtutibus dediti sunt, ab omnibus audiant bene semper; et rursus, ut virtutis curam agens, non multas habeat adversarios. Bona enim apud omnes fama, argumentum vel maximum est, haud multam virtutis haberi rationem. Quomodo enim a cunctis laudetur, si quis affectos injuria homines ab injuriam inferentibus eripere studeat? Rursus vero, si peccatores corrigere et recte agentes laudare velit, nonne par est hos quidem laudare, illos autem vituperare? Itaque qui diligens virtutis sectator esse volet et a solo Deo recipere laudem, eum ab hominibus laudari et bene audire impossibile est. Multam enim in virtutem ostendit vitium insaniam* [2]).

Est et altera causa, ob quam daemon Societatem persequitur, quia videt, tam multos infideles et haereticos et impios per eam Deo opitulante esse ereptos et quotidie eripi in India Orientali et Occidentali, in Iaponia, in Regno Sinensi, in Germania, Polonia, Lithuania, Austria, Bohemia, Moravia, Silesia et alibi, quam ob rem etiam haeresi infectarum civitatum magistratus et cives alios patiuntur apud se catholicos, nostros nequaquam, quia vident et audiunt,

---

[1]) Ev. S. Ioan. 15, 18—20. [2]) S. Chrysost. Hom. de Virt. et vitiis. (M. P. Gr. 63, 762).

plurimos a Lutheri et Calvini haeresi ad Ecclesiae Romanae gremium per nostros homines adduci. Quam rem pulchre ponderans, ut solet omnia, S. Chrysostomus, circa illa verba Apostoli: Ostium mihi apertum est magnum, et adversarii multi, sic ait: *Si magnum ostium, quomodo adversarii?* Et paulo post respondet: *Si sunt multi, qui insidiantur, hoc signum est profectus Evangelii. Nunquam enim magis saevit ac furit scleratus ille daemon, quam cum ex suis vasis et instrumentis multa videt diripi. Non est enim ejus, qui parva gerat et mala, malam illam bestiam irritare*[1]).

Solatur nos illud, quod Dio laudat ex Antisthene, commendatum ab Antonino: *Etiam cum benefeceris, male audire, regium est*[2]).

Solatur nos id, quod dixit S. Chromatius Aquilejensis Episcopus, appellatus ab Hieronymo sanctissimus et doctissimus: *Non est dubium, quia bene facto comes est semper invidia. Nam ubi coeperis rigidam tenere justitiam, insolentiam reprimere, incredulos ad pacem Domini convocare, ubi coeperis denique a mundanis hominibus et erroneis discrepare, statim persecutiones oriuntur, necesse est surgant odia, aemulatio laceret*[3]).

Solatur nos, quod ii, qui nos impetunt, nulla

---

[1]) S. Chrys. hom. 43 in I Cor. (M. P. Gr. 51, 371). [2]) Div. or. 7. [3]) Chromat. Conc. de octo beat. (M. P. L. 20, 327).

sunt a nobis affecti injuria, sed ii, ad quorum spiritualia obsequia ecclesiastica prompti semper sumus iisque nos impendimus, et quorum vice portamus pondus diei et aestus, servientes animabus illorum curae commissis, nocte et die, judicentur a Sanctis, non a nobis, homines valde improbi, quibus displicere, judicio Sanctorum et Sapientum, laus nostra est: *Perditae ac profligatae improbitatis esse mihi ille videtur,* inquit S. Isidorus Pelusiota, *non qui cum, a quo injuriam atque contumeliam accepit, ulciscitur, verum qui meliorem atque omnium laudibus celebratum odio et cavillis insectatur. Ille enim etsi ad philosophiae fastigium minime ascendit, at justam tamen odii causam habere videtur. Hic autem, cum nulla causa subsit, non tam cum homine, quam cum virtute bellum gerit, ac bona omnia funditus evellere conatur* [1]).

Solatur nos id, quod scribit B. Laurentius Iustinianus: *Hujusmodi odium testimonium sanctitatis est, virtutis decor, innocentiae praeco, pedissequus gratiae, bonorum morum denunciator, et rationabile argumentum praedestinationis aeternae. Gaudeat igitur, quem mundus persequitur, malorum lingua dilaniat, et diaboli exercet nequitia. Illum plane mundus conatur evertere, quem diligit Chri-*

---

[1]) S. Isidorus Pelus. Epist. lib. II 114. (M. P. Gr. 78, 555.)

stus. Quem vero suo amore Christus efficit dignum, mundi permittit tolerare flagella [1]).

Solatur nos Gregorii dictum: *In tanto existimet se Deo placuisse quis omnipotenti, quanto se perversis hominibus displicuisse cognoscit.*

Solatur nos praeclarum dictum S. Teresiae, multa etiam a viris bonis passae: *Semper,* inquit, *observatum est, eos, qui Christo Domino viciniores et propinquiores fuere, plus aliis laboribus et adversis lancinatos et divexatos fuisse.* Et alio in loco: *Certissimum est, per viam difficultatis ac laborum a Deo conduci eos, quos multum diligit, et quo magis eos diligit, eo etiam per graviores difficultates eos conducere* [2]). Itaque, ut S. Isidorus Pelusiota scribit: *Quemadmodum Apostoli, fortitudine animique magnitudine septi divinoque auxilio instructi atque armati, tot bellis exagitati, et certaminum causa satis amplam consolationem capiebant, non enim suae, sed Dominicae gloriae causa ea patiebantur, quae patiebantur, ac proinde nec livor, qui proborum virorum successibus discruciari solet, eos laesit, eodem modo nos quoque, cum non ob improbitatem nostram, sed pietatis ac justitiae causa, malo aliquo afficimur, animis consternari minime debemus. Nobis enim, etiam ante futuras coronas, ad ornatum ipsa certaminum causa sufficit* [3]).

---

[1]) S. Laur. Iustin. Fasc. amor. c. 11. [2]) S. Teres. Cast. Mans. VII c. 4. [3]) S. Isidor. Pelus. Epist. lib. II 54. (M. P. Gr. 78, 498).

Et nobis applicamus illud, quod S. Cyprianus Martyr scripsit Antoniano, defendens S. Cornelium Papam calumniis impetitum: *Quod quaedam de illo inhonesta et maligna jactantur, nolo mireris, cum scias, hoc esse opus semper diaboli, ut servos Dei mendacio laceret et opinionibus falsis gloriosum nomen infamet; ut qui conscientiae suae luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur* [1]). *Commordeant ergo nos,* ut ait Seneca, *citius multo frangent dentes quam impriment* [2]). Et sicut S. Ecclesia, ut scribit S. Isidorus Pelusiota, ita Societas, ejus pars, *oppugnata est, sed non oppressa, verum iis ipsis, qui eam extinguere tentaverunt, splendidior emicuit* [3]). *Nostra persecutionibus crevit religio* (ita et Societas), *in pace deteriores facti sunt Christiani*, ut inter alios Sanctos observavit S. Gregorius Nazianzenus [4]).

Quapropter possum applicare Societati illud dictum Christi Domini, quod audivit ex sanctissimo ore ejus Ioannes Hispanus e Metymna Campi, sacerdos Capuccinus, vir sanctissimus, ut refert Zacharias Boverius in praeclaris Annalibus hujus sanctissimi Ordinis [5]). *Fratres mirari desinant, si hanc Congregationem haetenus tot erroribus concussam, tot persecutionum machinis oppugnatam, tot daemonum tentationibus exagitatam,*

[1]) S. Cypr. Epist. 52. (M. P. L. III 801). [2]) Senec. De vita beata cap. 5. [3]) S. Isid. Pel. Epist. lib. III 5. (M. P. Gr. 78, 371). [4]) S. Greg. Naz. or. 3. [5]) Zach. Bover. Annales Capp. tom. I pg. 362 n. 25.

tot denique ac tantis calamitatibus tum tempestatibus jactatam volui. Undique illa tentanda ac probanda fuit, ut divinum hoc, mihi acceptissimum opus esse ostenderetur. At vero expleto probationis tempore a me praestituto, nihil est, quod metuant, ea enim virtute mea excrescet, amplificabitur, dilatabitur, atque in orbe proficiet; demum eam metam attinget, ad quam altissimo meo consilio ac sapientia praeordinata fuit. Sed jam ad rem ipsam veniamus et discutiamus ea, quae quibusdam in nobis displicent.

PRIMA ACCUSATIO.

Inprimis damnant aliqui in Societatis hominibus communem cum caeteris saecularibus victus rationem, nulla fere peculiaria jejunia, non abstinentiam a carnibus habentem, nulla ex regulae praescripto cilicia ac similes carnis macerationes adhibentem. Quibus primum illud monitum opponimus Apostoli: *Qui non manducat, manducantem non judicet* [1]): nec se manducanti carnes ab iis abstinens ob id anteponat, eumque superbe despiciat. *Si a cibis abstines,* inquit S. Isidorus Pelusiota, *quid conviciis et maledictis tanquam carnibus vesceris? praestiterat enim illis ingurgitari quam his contaminari. Quod si ab illis abstinens, his inficeris et conspurcaris, ei similis es,*

[1]) Ep. ad Rom. 14, 3.

qui parum precatur, magna autem ex parte Deum impiis et contumeliosis vocibus incessit [1]). Sed quomodo Deum is cum ejus servis proscindit? Ideo, quia dixit Deus: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* [2]). Alioqui secus faciendo illam incurreret reprehensionem S. Bernardi, eos Religiosos perstringentis, qui, jejuniis majoribus addicti et abstinentiis, alios tanquam delicatulos carnibus vescentes contemnebant. *Repleti*, inquit, *faba, mentem superbia, cibis damnamus saginatos; quasi non melius sit exiguo sagimine ad usum vesci quam ventoso legumine usque ad ructum exsaturari, praecipue cum et Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus*, (Hebr. 12, 16) *et de ligno Adam, non de carne damnatus* [3]). Itaque ut Isidorus Pelusiota scripsit junioribus monachis, *si monasticam vitam legitime colitis jejunantes, a fastu alienos vos praebete. Sin autem hoc nomine insolescitis, carnes portius edite* [4]). Scimus, S. P. N. Ignatium, nostri Ordinis Fundatorem, cum Societatem nostram conderet, praeter divinum magisterium, quo leges ejus instituit ac vivendi rationem nostris hominibus praescripsit, praestantes ad consilium adhibuisse medicos, qui decernerent, an posset suis tot et tantis mentis et corporis laboribus perpetuo vacaturis plura

[1]) S. Isidor. Pelus. Epist. lib. I 446 (M. P. Gr. 78, 427). [2]) Zach. 2, 8. [3]) S. Bern. Apol. ad Guilelm. (M. P. L. 182, 906). [4]) S. Isid. Pelus. Epist. lib. I 474 (M. P. Gr. 78, 446).

quam ecclesiastica jejunia et abstinentias injungere. Medici autem, re diu agitata, in hanc venere sententiam: Ni suos vellet mactare, nulla praeterquam ecclesiastica jejunia et abstinentias illis praescriberet permitteretve. Sane bene ait S. Diadochus in suis ad perfectionem doctrinis: *Ut corpus multo cibo onustum languidam et segnem efficit mentem, sic nimia continentia victus debilitatum facit, ut ea pars animae, quae in contemplatione versatur, in maestitia sit et in fastidio sermonis. Oportet igitur ad motiones corporis* — addo ego. ad labores assiduos mentis et corporis, in studendo, docendo, meditando, conciones, libros, lectiones componendo, aegros in sordidis xenodochiis, alios ad carceres foetidos detrusos, invisendo jacentes infirmos sub dio, absolvendo, huc illucque pro lucro animarum discurrendo — *cibos etiam accommodare. Nec enim infirmo corpore esse debet qui certat,* (qui toties subit labores, quales subimus), *sed ita firmo, ut sustinendo certamini par esse queat* [1]). Et S. Gregorius Nazianzenus: *Si debilitare corpus et conficere studeo, jam non habeo, quo socio et opitulatore ad res praestantissimas utar. Nimirum haud ignorans, quam ob causam procreatus sim, quodque me per actiones ad Deum ascendere oporteat* [2]). Quamvis autem extraordinariis in Ecclesia jejuniis et abstinen-

[1]) S. Diad. c. 45. [2]) S. Gregor. Nazianz. Orat. 16 (M. P. Gr. 35).

tiis non simus dediti, tamen debiliores sumus quam multi alii iis dediti, et plures quam alibi apud nos consumuntur tabe, exsangues fiunt et tam debiles, ut facilline morbis gravissimis tententur et opprimantur, in debilitata his mentis et corporis laboribus natura. Inde praestantissimus quidam in Lusitania medicus mirabatur, nostros studiis vacantes, dum levi etiam febricula laborarent, debiliorem habere pulsum quam quosquam Religiosos magnis jejuniis deditos, dum fere agonizarent. Quocirca S. Paulus Apostolus dans modum vivendi jussu B. V. Mariae, Monialibus S. Franciscae Romanae, jubet eas etiam carnes certis diebus hebdomadae comedere, ut scribitur in Vita ejus Romae edita anno 1641. Et Christus Dominus in Regula, quam proprio ore dictavit S. Brigittae, cap. 9, carnium esum concedit. Hinc SS. Patres et alii vitae asperrimae dediti, improbarunt nimiam corporis afflictationem, ne per eam bona majora ad Dei gloriam promovendam impedirentur: S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, Cassianus, S. Franciscus, Richardus a S. Victore et alii. Et in quibusdam Ordinibus, qui a carnibus abstinent mitius quam Carthusiani, oculis meis vidi in diversis regnis et ab ipsismet fide di-

[1]) S. Brig. Reg. c. 9. S. Basil. Reg. brev. 128. S. Greg. Nyss. lib. de Virg. c. 22. Cassian. Inst. lib. II c. 6. lib. III c. 8 Bonav. Vita S. Francisci c. 5. Rich. a S. Vict. De exterm. mal. tr. 2 c. 7.

guissimis audivi, carnium delicatarum avium esum concedi, quia aliquo languore vel pituita et catarrho laborant. Quae res a discreta Superiorum indulgentia et caritate profecta magnam commendationem meretur apud prudentes rerum aestimatores. Sed nostrorum hominum labores mentis et corporis vere non minus nos debilitant, quam alios petuita, languor et catarrhus; proinde nullus vitio nobis debet vertere, quod illis diebus vescamur moderate carnibus, et quidem vilibus, bubulis, agninis, quibus Ecclesia omnibus earum esum concedit. Itaque et qui abstinent propter Deum a carnibus et magis caeteris jejunant, sancte id faciunt, laudandi sunt et honorandi, et qui carnes moderate comedunt nec tam saepe jejunant, ut vires necessarias pro laboribus mentis et corporis in auxilium animarum et sanctae Ecclesiae ministeria conservent, sancte faciunt: non sunt vituperandi; utri melius, quam bene utrique, Deus erit judex.

Bene dixit S. Catharina Senensis alloquendo Deum Patrem c. 378 suorum Dialogorum: *Tu vis nos servire tibi ad modum tuum, et diversimode ducis servos tuos, propter quod hodie indicas, quod nullatenus intrinsecum creaturae tuae judicare debemus, et hoc maxime de servis tuis. Unde alios videmus currere per viam poenitentiae, fundatos in mortificatione corporis, alios in humilitate, in occidendo perversam voluntatem, alios in fide viva. Alii quidam per misericordiam accedunt, et alii totaliter*

dilatati in charitate proximi, relinquendo seipsos. O quam regaliter progrediuntur isti. O quam advertunt fieri secundum ordinem voluntatis tuae; et ideo in omnibus, quae operantur creaturae tuae, considerant voluntatem tuam, nunquam vero voluntatem judicant creaturae.

Sane sanctissime illi veteres Eremitae abstinebant non solum a carnibus, sed etiam a piscibus et a lacticiniis, et a vino et a jusculis et ab oleribus coctis, et in tuguriolis incommodissimis perpetuo habitabant, nec tamen ob hanc abstinentiam meliores judicati sunt a Deo, saecularibus quibusdam ab usu communi carnium non abstinentibus. Hinc S. Paphnutio *oranti Deum, ut sibi ostenderet, cui sanctorum similis haberetur, respondit: Symphoniaco cuidam, qui in vico illo cantandi arte victum quaereret.* Post aliquod tempus, cum Paphnutius sanctius vixisset quam antea *et Domino supplicasset, ut sibi ostenderet, quis sibi similis esset super terram, fit iterum vox Domini ad eum dicens: Similem te esse nosce primario vici illius, qui est in proximo.* Tertio denique cum Paphnutius persisteret *in jejuniis et orationibus, semetipsum ad majora et perfectiora extendens, et orasset Dominum, ut sibi ostenderet, cui similis haberetur inter homines, rursus ei vox divina respondit dicens: Similis es negotiatori, quem videris ad te venientem, qui viginti millibus solidorum mercimonia tribus navibus deferebat ex The-*

laude[1]. Sic B. Macario Abbati, a carnibus et piscibus et lacticiniis perpetuo abstinenti, Deus dixit: *Macari, nondum ad mensuram duarum mulierum pervenisti, quae in proxima pariter habitant civitate:* quae fassae sunt ei postea, se adhuc maritorum consuetudine uti, ut scribit Ruffinus. Et S. Antonio, Abbati celeberrimo, divinitus dictum fuit: *Antoni, nondum pervenisti ad mensuram coriarii, qui est in Alexandria.*

Si ergo tam magni Sancti, adeo in Ecclesia Dei celebres, perpetui Eremicolae, a carnibus, piscibus, lacticiniis, jusculis et coctis oleribus, ab hominum convictu abstinentes, assiduis contemplationibus et orationibus dediti, in majore austeritate vitae quam nunc vigeat in aliis Ordinibus, constituti, divino judicio non fuerunt judicati meliores saecularibus, vescentibus carnibus et immersis in negotiis civilibus ac rei familiaris curis, sed eis postpositi, nemo a carnibus abstinens ob id se perfectiorem putet et se anteponat manducantibus carnes; verum, ut monet Apostolus: *Qui non manducat, manducantem non judicet*[3]): etiamsi se putet aequalem sanctitate S. Paphnutio, S. Macario, S. Antonio; quia, ut ait S. Chrysostomus, *sunt profecto viae,*

[1]) Ruffin. Vitae Patr. lib. II c. 16. (M. P. L. 21, 436 sequ.). Hist. Lausiac. 63 (M. P. L. 73, 1170). [2]) Vitae Patrum III n. 97 (M. P. L. 73, 773). [3]) Ep. ad Rom. 14, 3.

quibus fiduciae ad Deum januae aperiri possunt, multo majores quam ciborum abstinentia [1]).

Extat, ut omittam alia, in Vitis SS. Patrum aptum ad confirmandam doctrinam hanc S. Chrysostomi responsum cujusdam religiosi senis, *quem cum interrogasset quidam juvenis: Oro te, Pater, dic ex animi tui sententia, quid tibi videtur: Duo fratres sunt, quorum alter in tuguriolo suo quiete perdurat et jejunium quandoque usque ad sextum diem producit nec interim consuetos sibi labores quicquam remittit, alter vero unius rei satagit, ut aegrotis inserviat, dic obsecro, cujus vivendi genus videtur Deo acceptius? Cui senex: Non opus hic, inquit, deliberatione multa; dico, si frater ille, qui sex diebus protrahit jejunium, suis ipse naribus sese suspendat, illi alteri, qui aegrorantibus ministrat, pro merito nentiquam aequalis esse poterit* [2]). Si ergo aegrotantium corporum cura et obsequium, illis ex Dei amore impensum, judicio hujus religiosi Patris praestantiora sunt jejunio, multo magis animarum, quae sunt praestantiores corporibus, cura et obsequia pro illis suscepta, docendo in scholis, libros pro conversione haereticorum, pro defensione et illustratione sanctae fidei, pro promotione animarum in spiritu, pro instructione rudium et ignoran-

---

[1]) S. Chrys. hom. 10 in Genes. (M. P. Gr. 53, 83).
[2]) De vitis Patrum VII c. 19. (M. P. L. 73, 1040). Pelag. lib. XVII n. 18.

tium, pro avertendis curiosis a lectione malorum librorum, pro rerum spiritualium majore enucleatione, scribendo, carceres, aegrotos in xenodochiis visitando, rudes et pueros instruendo, in fimo jacentes mendicos a peccatis absolvendo, itinera molesta pro juvandis animabus et convertendis faciendo, (quod a Societatis hominibus fit jejunii molestiis sunt meliora. Quocirca, dum non ita stricto et severo jejunio affliguntur corpora, his charitatis laboribus et molestiis ex Dei amore indefesse et ubique gentium toleratis accusari tanquam delicatuli non debent et abstinentibus ab esu carnium postponi. Et, ut dixit Deus Pater S. Catharinae Senensi, *Cavendum est judicare, quemquam in majore perfectione consistere, licet amplius in majori poenitentia corpus affligat, illo, qui minorem poenitentiam agat. Nam virtus vel meritum ipsorum in hoc minime consistit; quia male succederet eis, qui nequeunt ex causa legitima facere poenitentiam actualem, sed solummodo in caritatis virtute consistunt, condita lumine verae discretionis, nam aliter non valeret.* Ideo ostendit Deus, quantopere displiceant ei, qui ob esum carnium de servis Dei scandalisantur. *Cum enim Stephanum Presbyterum frater ejus saecularis, valde religiose et secundum Deum vivens, carnes comedentem vidisset et ob hanc causam scandalisatus esset et valde contristatus, mox*

[1]) S. Cath. Senens. Dial. c. 11.

in extasi raptus vidit quendam dicentem sibi: Quare sic de presbytero scandalisatus es? quia illum vesci carnibus vidisti? Nescis, quia necessitate compulsus et propter obedientiam id fecit? Nempe propterea scandalisari non debuisti. Nam si merita et gloriam fratris tui videre cupis, retro convertere et vide. Conversusque vidit fratrem suum crucifixum cum Domino. Aitque ad eum is, qui illi apparuerat: Ecce, in qua gloria frater tuus est [1]). Potsunt ergo comedentes carnes et necessitate esse crucifixi cum Christo et gloriosi Deo judicio.

Certe S. Elias Propheta non plures sustinuit mentis et corporis labores quam Societatis Operarii et Magistri scholarum et Coadjutores ad officia domestica deputati, et tamen ad confortationem et refectionem corporis, tam pro prandio quam pro coena carnes ei quotidie mittebat Deus. *Corvi*, inquit sacer textus, *deferebant ei panem et carnes mane; similiter panem et carnes vesperi* [2]). Neque hoc *Dominicum praeceptum* (sic enim appellatur a S. Basilio [3]) ullus sanae mentis, aut S. Eliae prandium et coenam carnibus quotidie instructum improbaverit, aut propter abstinentiam a carnibus S. Paulum, primum Eremitam, quem non carnibus, sed solo pane, sine piscibus et oleribus, Deus per cor-

---

[1]) Pratum spirit. c. 65 (M. P. L. 74, 149). [2]) III Reg. 17, 6. [3]) S. Basil. hom. in div. avar.

vum sexaginta annis pascebat, S. Eliae Prophetae anteposuerit.

Quocirca, si Deus ipse S. Eliae, monachorum principi (uti appellatur a S. Hieronymo) et quodammodo omnium Religionum primo Fundatori communi, escas veluti facto ipso suo praescribens, carnes tam pro prandio quam pro coena mittebat, non judicavit religiosis Ordinibus, praesertim non soli contemplationi, sed etiam vitae activae et laboriosae mancipatis, carnium esum moderatum inconvenientem, quin potius esse necessarium, miraculosa carnium per voracissimas volucres transmissione ostendit.

Verum est illud S. Chrysostomi dictum: *Qui comedit et bibit, non ut ventrem disrumpat aut rationem obtundat, sed ut corpus debilitatum reparet, jejuno animi modestia erit aequalis* [1]).

Verum est id, quod S. Hieronymus, austerae vitae cultor eximius, scripsit, laudator jejunii, non jejunantes non condemnans: *Parcus cibus et semper venter esuriens triduanis jejuniis praefertur, et multo melius est quotidie parum quam raro sumere.*

Verum est id, quod in Vitis SS. Patrum *requisitus Abbas Poemen, quo modo oporteret jejunare respondit: Ego volo monachum ita esse quotidie parum comedentem, ut non satietur, nam bi-*

[1]) S. Chrys. hom. 9 ad pop. (M. P. Gr. 49, 100).

duana aut triduana jejunia vanae gloriae vacant [1]). Non quod talia jejunia improbanda sint, absit, quin imo magnopere laudanda, sed non ita extollenda, quasi iis dediti eam ob causam sint ceteris meliores, et summam ob id perfectionem assecuti. *Habet quidem per se gloriam jejunium*, inquit S. Diadochus, *sed non apud Deum;* (intellige, praecipuam vel summam gloriam, alioquin magnam habet procul dubio, quia est opus bonum) *est enim instrumentum, quod ad temperantiam componit eos, qui volunt. Non oportet igitur eo gloriari*, (hoc est, vane, praeferendo se aliis non jejunantibus) *qui christianae religionis pugiles sumus. Nec enim cujuscunque artis periti de artificio, quod profitentur, ex instrumentis gloriantur.* Quocirca S. Chrysostomus monet: *Si, dilecte, ob corporis imbecillitatem non potes jejunus diem perducere, nullus qui sapiat, propter hoc te arguere poterit. Dominum enim habemus mansuetum ac benignum, et nihil supra vires nostras a nobis exigentem. Si sobria mente vitam nostram instituemus, et quicquid otii datur, in spiritualia impenderemus, et cibos ita sumeremus, ut tantum sumeremus, quantum usus exigit, et vitam totam in bonis operibus dispensaremus, jam nullo opus esset ex jejuniis adjumento* [2]).

Quocirca mirum non est, eundem S. Chry-

[1]) Ruffin. Vitae PP. lib. III n. 45. (M. P. L. 73, 766). [2]) S. Chrys. hom. 10 in Gen. (M. P. Gr. 53, 82).

sostomum, instruentem Heronem Diaconum, non tam laboriosam vivendi rationem agentem, uti agit quilibet e Societate nostra etiam tiro, sic ad eum scripsisse: *Iejuniis et precibus vaca,* (nimirum ordinariis) *at cave, ne immodice id agas, ne te dejicias: vino et carnibus ne prorsus abstineas, nec enim abominanda sunt.* Idque suadet sententiis Sacrae Scripturae: *Bona terrae,* inquit, *comedatis; et: Edite carnes et olera, et vinum laetificat cor hominis.* Alioquin, ut dixit Abbas Hyperichius, *melius est comedere carnes et vinum bibere, quam comedere in rituperatione carnes fratrum* (id est, fratribus detrahere). *Sicut enim susurrans serpens Eram de paradiso excussit, ita, qui de fratre suo detrahit, non suam solum, sed et audientis animam perdit*[1]). S. Isidorus daemonibus eos comparat, qui cibis abstinent et male loquuntur, quod semper est superbia, ex qua oritur invidia et odium. Quapropter S. Bernardus eos abstinere carnibus pecorum, vesci humanis queritur supra citatus. *Ad salutem perpetuam conquirendam,* inquit S. Caesarius, *abstinentia corporalis sola non sufficit. Quid enim juvat, si sit quispiam corpore castus et mente pollutus, quem mendaciis vel maledictis lingua commaculat? Nonne ipse se irridet ac decipit, si credat, se sine reliquis*

[1]) Ruffin. Vitae Patrum lib. III n. 134. (M. P. L. 73, 786).

virtutibus sanctificandum? [1]). *Quae enim utilitas,* inquit S. Chrysostomus, *cum avibus quidem et piscibus abstineamus, fratres vero mordeamus et comedamus? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit.*

Ego sane multos viros, principes et Religiosos aliorum Ordinum in diversis Europae provinciis audivi non semel, habentes bene perspectum et Societatis nostrae victum ordinarium et aliorum Ordinum, constanter asseverantes, longe melius in aliis Ordinibus suos in triclinio tractari quam tractentur in nostra Societate. Et hoc sciunt bene multi aliorum Ordinum Praelati, quibus nota est nostri victus ratio ubique gentium. Et fuit non nemo mihi probe notus, (quippe ante triginta sex annos meus in Theologia discipulus in Academia Vilnensi) qui dimissionem e Societate petiit et importune extorsit, nullam aliam ob causam, quam quod se diceret nunquam saturum a mensa surgere, sed cibo copiosiore ac meliore indigere. Et hanc post suum discessum e Societate palam adferebat causam eam scire volentibus, factus postmodum Praepositus Bieczensis a Cracoviensi Episcopo Tylicio, sacerdos sane nobilis et egregius concionator, a quo hoc ipsum audivi. Habet Societas carnis macerationes in quotidiano usu, et plures quam multi putent et majores. Habet easdem diserte praescriptas in Regulis

[1]) S. Caesar. hom. 27 (M. P. L. 67, 1058).

et Constitutionibus suis a S. Ignatio conscriptis, sed certum numerum praescriptum non habet. Multi enim, si certi aliquid praescriptum esset, ob debilitatem aliamve ob causam adimplere non possent. Quocirca dispensatione opus esset, enervatrice religiosae disciplinae. Ideo per similes dispensationes Sacrum Concilium Tridentinum ait: *Frequentius legem solvi et certis petentibus indulgere nihil aliud esse, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire* [1]).

Est in Societate mos, ut juxta conditionem virium et necessitatis unicuique certae concedantur a Superiore vel Confessario carnis macerationes, plures et majores fortioribus quam aliis domesticis. Prudenti sane consilio. Hanc enim ob causam ipse Deus S. Pachomio in Regulis per Angelum missis praescripsit: *Concede unicuique, ut comedat et bibat pro viribus, et pro viribus quoque comedentium eis manda opera, quae proportione conveniant ac respondeant, et nec jejunare prohibe nec comedere, siquidem fortibus fortia opera manda, imbecilla autem et levia iis, qui imbecilliores sunt* [2]). Idem servandum est in qualitate et quantitate mortificationum carnis, quod in cibis laboribusque corporis. *Quemadmodum enim hi*, ut ait S. Basilius, *alii aliis necessarii sunt, suntque et pro aetate et pro vitae instituto et*

[1]) Concil. Trid. sess. 25 c. 18 de Reformat. [2]) Pall. Hist. Lausic. c. 38. (M. P. L. 73, 1137).

pro corporis habitudine convenienter distincti, ita quoque illis utendi modus et ratio diversa sunt. Quo fit, ut regula una omnes comprehendi non possint [1]).

Claudam hoc argumentum divino responso dato a Deo Patre S. Catharinae Senensii, quae cum interrogasset Deum Patrem, *An ambulante cum poenitentia magna uno et alio absque poenitentia tali judicare posset, illum, qui talem poenitentiam agit, in majore perfectione fore quam alium, qui non facit ita?* Respondit sic Deus Pater: *Frequenter occurrit, quod aliqui vadunt per viam abstinentiae vel admirabilis poenitentiae, et ita vellent omnes agere. Si vero ita fieri non viderint, assumunt inde displicentiam et in se scandalisantur, judicando, tales non ambulare salubriter. Attende, quod isti valde decipiuntur, quia frequenter accidit, quod ille, de quo sic judicant, ampliorem merebitur habere gratiam, licet ipse se non affligat in tanta poenitentia quam illi, qui scandalisantur in eo et majore poenitentia conteruntur. Et ideo tibi jam dixi, quod illi, qui pascuntur in mensa poenitentiae, nisi procedant cum humilitate vera, et quod pro principali fundamento et affectu non assumant poenitentiam ipsam, sed pro virtutis instrumento, saepe propter hujusmodi murmurationem suam perfectionem offendunt. Et ideo debent attendere, quia perfectio non consistit solummodo in macerando*

[1]) S. Basil. Regula fus. Interrog. XIX. (M. P. G. 31, 967).

corpus, imo potius in occidendo perversam atque propriam voluntatem. Non tamen ego contemno poenitentiam, quia poenitentia utilis est ad domandum atque castigandum corpus, quando spiritum impugnare vellet, sed, amantissima filia, nolo, ut hoc accipias tanquam regulam omnibus imponendam. Nam omnia corpora non sunt aequalis complexionis, quia naturae fortioris est unus quam alter. Et etiam quia frequenter occurrit, quod propter accidentia diversa poenitentiam jam inceptam oportet omittere[1]. Talia autem sunt Societatis nostrae munia, quae assiduum asperitatum et macerationum corporis usum non ferunt, ne majores actus virtutum, Deum magis glorificantes quam sit jejunium et cilicium, impediant.

SECUNDA ACCUSATIO.

Irrident alii in vestibus nostris colorem nigrum et nos per ludibrium corvos appellant. Aequo id animo audimus, duce S. Basilio et S. Benedicto aliisque. Soli non sumus, tot myriades Monachorum pullo vestiri colore videmus, viros doctissimos sanctissimosque et Ecclesiae Dei utilissimos, et omnes fere per totum orbem terrarum clericos eundem colorem amplexos scimus; ipsi quoque e clericorum numero, licet regularium. Olim etiam Clerici et

[1]) S. Cathar. Senensis Dialog. c. 97 et 104.

Monachi et Moniales nigris vestiebantur, teste S. Athanasio. Et S. Augustinus [1]) indicat, fuscam vestem (quam nigellam vocat) fuisse insigne continentiam profitentium. Hinc S. Ioannes Climacus Religiosum alloquens ait: *Ipsum quoque indumentum tuum te ad exercitium luctus hortetur. Omnes enim, qui mortuos lugent, nigris vestibus operiuntur* [2]). *Nigra enim vestis,* inquit S. Bernardus, *insinuat humilitatem mentis* [3]). Et Petrus Cluniacensis ad S. Bernardum scribens: *Visum est,* inquit, *magnis Patribus illis, nigrum hunc, de quo agitur, colorem magis humilitati, magis poenitentiae, magis luctui convenire. Quibus studiis quia totam Monachi vitam invigilare oportet, decreverunt, ut color moribus, vestes virtutibus, qua possent, cognatione jungerentur* [4]).

Non corvis, sed Angelis similes putabant esse nigris indutos S. Gallaction et S. Epistaemus, Martyres sub Decio Imperatore occisi. *Eos,* inquit, *qui sunt nigro pallio induti, dixit similes esse Angelis, nimirum quia se a mundo separent et ab his, quae sunt mundi, et servant virginitatem et delegerunt habere vitam Christo consimilem* [5]).

Similiter pullam ac fuscam vestem in usu fuisse Sanctimonialium, scribit S. Hieronymus

[1]) S. Athan. lib. de Virg. S. August. Ep. 199. [2]) I. Climacus. Scala paradisi grad. 7. [3]) S. Bern. ad Soror. [4]) Petrus Cluniac. ad S. Bernard. [5]) Sur. Vitae tom. VI c. 9.

non uno in loco. Nam epist. 23 ad Marcellam sic habet: *Scandalisat quempiam vestis fuscior,* (id est nigra). *Scandaliset Ioannes, quo inter natos mulierum major nullus fuit, qui Angelus dictus ipsum quoque Dominum baptisavit, qui camelorum vestitus tegmine, zona pellicea cingebatur.* Et infra laudans Blaesillam, quae amisso viro monachae vitam profiteri coeperat, *Pulla tunica* usam asserit. Et ep. 15 ad Marcellam: *Tunicam,* inquit, *fusciorem induta,* (Virgo Asella) *se Domino consecravit.* Et S. Asteriva in secundo Concilio generali Niceano de S. Euphemia Martyre Chalcedonensi, coram judice stante, dixit: *Adstabat Virgo, pulla veste et pallio philosophiam professa.* Quali veste indutum fuisse S. Anastasium Martyrem apparet ex ejus picta imagine, ab eodem Concilio celebrata multisque illustrata miraculis, quae ad hunc diem Romae ad Aquas Salvias, una cum ejus reliquiis, populi venerationi quotannis exponitur videnda. Sane, cum S. Paulus Apostolus jussu Beatissimae V. Mariae traderet Regulam S. Franciscae Romanae pro ejus Monialibus, jussit, ut vestem superiorem portarent ex panno nigro, sicut ad hunc diem portant [1]).

Merito ergo Societati nostrae placuit niger vestitus, quem innumerae myriades Clericorum et Monachorum ac Virginum et Martyrum ele-

1) Vita S. Franciscae Rom. lib. IV c. 4.

gerunt, praesertim ex S. Benedicti sanctissimo Ordine, ex quo Sanctorum catalogo adscriptos esse a Sede Apostolica quindecim, imo sexdecim millia et sexcentos, scribunt diserte nobilissimi historici, Abbas Trithemius Benedictinus, et Ferdinandus de Castillo Dominicanus [1]).

Denique bene scripsit S. Bernardus, explicas illa verba Cantic. I. Nigra sum, sed formosa: *Non omne, quod nigrum est, continuo deforme est. Nigredo verbi causa in pupilla non dedecet, et nigri quidam lapilli in ornamentis placent, et nigri capilli candidis vultibus etiam decorem augent et gratiam* [2]). Gestat Dei beneficio Societas nigra vestimenta, sed candidam et formosam conscientiam Deo exhibet. Nam ut vere scripsit Excellentissimus S. R. Imperii Princeps Dux in Olyka et Nieswiez Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae Albertus Stanislaus Radivilius, antiquae pietatis et sapientiae heros et S. Ecclesiae inexpugnabilis defensor ac bonorum omnium patronus: *Mensis Iulius copiosam messem adulta segete declinantis saeculi per Ignatium Lojolam Soc. Iesu Parentem collegit, qui tam vetus quam recens zizanium, a Luthero et Calvino proseminatum, evellere nititur Christique ac Ecclesiae agrum lolio ac tribulis expurgare. Viget Reli-*

---

[1]) Trithemius serm. 2 de ord. vit. mon. Ferdin. de Castillo Hist. O. Praed. p. 1 lib. I c. 24. [2]) S. Bern. In Cant. serm. 25 (M. P. L. 183, 900).

gio ob ipso fundata incorruptione morum, integerrimae sanctitatis speculum politissimum, juventuti excolendae et erudiendae addicta, pro gloria Summi Numinis (quod unicum in votis semper fuerat Ignatio) spiritualium bonorum incrementis Ecclesiae horreum locupletans. Nec immerito veste nigra haec dilecta Jesu Societas tegitur, excipit nimirum lividae ictus invidiae malevolorumque persecutionibus impetitur, absque ulla integritatis ingenitae jactura. Ipsi sese denigrant adversarii, suisque se telis conficiunt, immersi scelerum faeculentiae. Potest libere illud sapientissimi regum Societas usurpare effatum: Nigra sum, sed formosa, etiam fructuosa, et coelo et Ecclesiae et orbi universo, laboriosa meritis, formidolosa hostibus [1]).

Sed cur peculiarem, ut alii Monachorum et Mendicantium Ordines, habitum et cucullas non habemus?

Respondeo, quia Clerici sumus, pro talibus a Sede Apostolica recepti et approbati et appellati a Concilio Tridentino, ideo communem toti clero [2]) ubique gentium elegimus, a quo cucullas gestari non decet et vetitum est in ecclesiasticis canonibus. Audi Concilium Aquisgranense sub S. Stephano I. Papa et Ludovico Pio Imperatore I. celebratum, id vetans quibusdam Clericis, et causam prohibitionis justam

[1]) St. Radivilus Suspir. anim. poenit. 1640 lib. V c. 6. [2]) Conc. Trid. sess. 25 c. 16 de Reform.

adferens: *Reprehensibilem et ecclesiastica emendatione dignum apud plerosque inolevisse comperimus usum, eo quod contra morem ecclesiasticum cucullas, quibus solis Monachis utendum est, induant: cum utique illorum habitus penitus usurpare non debeant, a quorum proposito quodammodo distant. Quia sicut indecens est, ut arma militaria more laicorum gestent, ita nimirum inhonestum est et valde indecorum, ut alterius propositi indumenta sibi imponant. Habitus namque singulorum ordinum idcirco in Ecclesia ab invicem discreti sunt, ut his visis, cujus propositi sit gestans, vel in qua professione Domino militet, liquido cognoscatur. Et quia hujuscemodi usus nulla auctoritate approbatus, sed potius ab his, qui sanum sapiunt, merito reprehenditur et repudiatur, oportet, ut ubhinc ne fiat, penitus inhibitum sit.*

Quocirca merito etiam Urbanus II. Papa statuit poenam, quam subire debet clericus, habitum monachalem gestans. Et Concilium Gangrense Can. 12, relatum a Gratiano in Decreta [1]), Monachos Eustatianos anathemate ferit, qui palliis oblongis more philosophorum induti eoque habitu quasi sanctitatis aut sapientiae nota gloriantes et superbientes ceteros ecclesiasticos aspernabantur et condemnabant eos, qui birris, id est palliis brevioribus, quibus Clerici et Epi-

[1]) Cap. Mandamus. 19 qu. 3. Gratian. dist. 30 c. Si quis virorum.

scopi, ut patet ex S. Aug. et S. Greg. Turonensi et Palladio, utebantur et veste communi, quali nostra Societas utitur, communi cum clericis.

Si quis eirorum, inquit Concilium, *putaverit sancto proposito, id est continentiae convenire, ut pallio utatur, tanquam ex eo justitiam habeat, et reprehendat et judicet eos, qui cum reverentia birris utuntur vel alia veste communi, quae in usu est, Anathema sit.* Ut bene observavit inter alios Alardus Gazaeus, insignis Commentator Cassiani, in notis ad ejus librum primum, caput septimum, in quo Cassianus Instituta veterum Monachorum referens, narrat, eos birros, scilicet clericales vestes tanquam ambitionem quandam declinasse. Communem autem vestem fuisse birrum, etiam apud Romanos, ut ait Caelius Rhodiginus [2], Graeci scribunt et confirmat (libro quarto) Martianus Historicus.

TERTIA ACCUSATIO.

Tertio carpunt alii Societatem nostram, quod institutioni juventutis se tam operose impendat. Ideoque in Italia praesertim magnos quosdam Religionum Antistites scio nostris homini-

---

[1]) S. Aug. serm. de divers. 50 et serm. 53 ad fratres in eremo. S. Greg. Tur. hist. lib. II c. 1. Pallad. Hist. Laus. n. 51. [2]) Caelius Rhodig. lib. XVI c. 10.

bus imposuisse per contemptum agnomina *pedanti, questa pedantaria,* vilium et ignobilium praeceptorum et magistrorum. Fatemur, nos pro Christo factos esse *magistellos,* ut isti vocant, et honori nobis ducimus, talia a censoribus nostris esse nobis imposita cognomina. Tum quia haec omnia Deo auctore facimus, qui inter alia hoc quoque ministerium S. P. N. Ignatio inspiravit, a S. Sede Apostolica laudatum et approbatum et multiplici fructu in S. Ecclesia commendatum et ab haereticis Ecclesiae hostibus improbatum, tum quia habemus in antiquissimis Sanctis hujus institutionis exempla, et aequissimas rationes praeclare explicatas a nostro Ribadeneyra, tum in Vita S. Ignatii tum in Opusculo de Societatis Instituto, tum a Suario. Inprimis certum est, ab ipso Ecclesiae Christi exordio viros sanctitate et doctrina conspicuos institutioni puerorum et adolescentum se impendisse. Nam Panthenus, excellentissimus philosophus, Alexandrinae scholae praefuit, et Clemens Alexandrinus, Origenis praeceptor, et ipsemet Origenes Clementi successit et socium sibi ad eam rem ascivit Erachlaeum, virum sapientissimum, ut scribit Eusebius Caesariensis [2]). Protogenes quoque, vir sanctitate et miraculis clarissimus,

[1]) Rib. Vita S. Ignatii l. III c. 24. De Instit. Soc. c. 39. Suar. de Relig. Societ. Iesu. [2]) Eusebius Caes. Hist. eccl. lib. V c. 10, 11 lib. VI c. 12. Theodor. hist. lib. IV c. 16.

scholam aperuit scribendi, puerosque hac quasi esca ad Christi cognitionem amoremque pellexit, ut auctor est Theodoretus. S. Hieronymus, eximia sanctitate atque auctoritate vir, inter maximas easque gravissimas occupationes, quibus distringebatur, assidue puellam instituendi curam suscepit. Itaque ad Gaudentium epistolam optimis refertam praeceptis scripsit de Pacatulae infantulae educatione, et alteram ad Laetam de institutione filiae. Et cum habitaret in Bethleem mundique oraculum esset, nonnullos nobilium instituebat filios, et poetas, historicos et oratores eis exponebat, ut eos hac ratione Christo lucraretur, ut scribit in ejus Vita Marianus Victorius. S. Ioannes Chrysostomus [1]) scribit, quendam S. Anachoretam aperuisse ludum litterarium solitudine relicta, multoque tempore in eo docendo versatum esse. Idem fecit Patronus Bitreicensis, vir sanctissimus et ob miracula patrata celeberrimus, qui cum in eremo vixisset, inde egressus scholam instituit et pueros erudiit. S. Cassianus Martyr, qui Imolae occubuit manibus puerorum, quos docebat, confossus, a Prudentio proprio hymno celebratus et in Romano Martyrologio repositus, primum fuit Episcopns Brixinensis in Germania, tum pergens Romam venit Imolam et scholam aperuit multosque pueros docuit, quos judex eth-

[1]) S. Ioann. Chrys. contra vituper. vitae monast.

nicus in eum stimulavit, ut ab eo poenas castigationum, quibus ab illo affecti erant, repeterent. S. Basilius, Monachorum in Oriente Dux, Institutor et Pater, cum quaestionem proposuisset, numquid conveniat, ut inter fratres Monachos magister sit puerorum saecularium, huic quaestioni ita respondet. *Cum Apostolus dixerit: Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini; siqui eos adducunt, adducant eos hac mente, et qui suscipiant, tales sint, ut plenissime confidant, posse se oblatos pueros, in disciplina et correctione Domini educare, servetur, quod a Domino praeceptum est, his verbis: Sinite parvulos venire ad me et nolite eos prohibere, talium enim est regnum coelorum* [1]). Et alio in loco idem S. Basilius non solum pueros, sed puellas etiam admittendas et separatim instituendas docet [2]). Quorum secundum non viris, sed feminis relinquendum est.

S. Benedictus, Monachorum in Occidente Parens, pueros in coenobiis suis educabat informabatque ad pietatem. Ex hac disciplina prodierunt S. Placidus, S. Maurus et alii. Sanctus quoque Gregorius Papa Anglos pueros magna diligentia conquiri jubebat et in sui Ordinis coenobiis ali atque educari [3]). Et S. Thomas

[1]) S. Basil. Reg. brev. Inter. 292 (M. P. Gr. 31, 1288). [2]) S. Basil. Reg. fus. Inter. 15. [3]) S. Gregor. Vita S. Benedicti Ioan. Diac. Vita S. Gregorii lib. II num. 46.

Aquinas, qui ferme septingentis annis S. Benedicto fuit posterior, in Cassinensi PP. Benedictinorum celebri monasterio educatus fuit. Neque vero Monachi S. Benedicti pueros ad omnem tantum virtutis laudem excolebant, sed etiam disciplinis et omni scientiarum genere instruebant. Nam et in Germania et in Gallia et in Anglia magna cum laude docuerunt, more scholarum Societatis, et viros omnibus sacris et profanis scientiis excultos ac celeberrimos habuerunt. Inter hos fuit Venerabilis Beda, qui ante annos prope nongentos floruit in Anglia, et ipse docuit et scholae praefuit [1]). In ejus postea locum successit Albinus, Caroli Magni praeceptor, et in locum Albini Rabbanus, Abbas Fuldensis, postea factus Archiepiscopus Moguntinus. Et Monachi Benedictini habuerunt Collegia, quemadmodum nunc habet Societas, in quibus docebant ea, quae nunc nos docemus, ut videre est apud Trithemium, celebrem scriptorem et Abbatem Benedictinum. Quod adeo usitatum fuit in S. Benedicti coenobiis, ut scribat F. Balduinus Moreau in Facula praefixa Historiae et Regulae S. Benedicti (pagina 38, 39): *Omnia coenobia erant gymnasia, et omnia gymnasia coenobia. Nusquam enim eo tempore per Ger-*

[1]) Chron. Hirsang. monast. ann. 854, 890, 951 de viris ill. S. Benedic. lib. I c. 6, 7. Illesc. hist. Pontif. lib. IV.

maniam, Galliam, Italiam et Angliam instituta litterarum fuerunt gymnasia, imo et aliquot post saeculis academiae (vel ut ajunt) universitatis nomen illustre in omni fere Occidentis Imperio fuerat incompertum. Praeter enim Romanum vetustissimum et Parisiense ac Papiense tunc nova, (utpote Caroli magni et successorum ejus jussu, ope et auctoritate fundata) in quibus Monachi Benedictini primi fuere professores, nullum in historiis aliud universale legimus extitisse studium.

Canonici Regulares idem factitarunt, ut significatur in Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Imperatore, tempore S. Stephani Papae primi [1]).

Patres Dominicani statuerunt in suis Capitulis generalibus, ut in omnibus partibus deputarentur Fratres ad munus docendi pueros in scholis et ipsis praedicandum, et ut eis fieret copia libelli, quem ad eum finem conscripserant, ut scribit insignis eorum historicus Ferdinandus de Castillo.

Ticini etiam publicum gymnasium in Conventu S. Augustini collocatum est, a cujus Ordinis viris disciplinae omnes tradebantur, ut quidam ejus Ordinis Monachus scriptum reliquit. Et in Belgio ad hunc diem habent humaniorum studiorum usque ad Rhetoricam scholas. Uti et Praemonstratenses tum alibi, tum in Moravia

[1]) Cap. 135.

et Bohemia. Et antiquitus Religiosi habuerunt easdem in suis Monasteriis, ut patet ex Concilio Gangrensi. Verum enim est, quod dixit S. Chrysostomus: *Cui studium est docere proximum, is non tam illi benefacit, quam sibi ipsi magnam mercedem parat, duplicique augetur lucro, dum majus a Deo praemium assequitur, et dum fratrem docere aggreditur, docendo interim sibi ipsi memoriam eorum quae audivit, renovat.* Ut mirum non sit, S. Thomam Doctorem Angelicum docuisse, *actum ex charitate docendi alios esse perfectiorem quam actum martyrii, consideratum secundum propriam speciem actus.* Et sane, si aliqui magistri praeliciendi sunt juventuti erudiendae, maxime ad haec munia sunt idonei Religiosi, quos magnopere commendat et aptiores ad utilius docendum reddit tum status perfectionis, in quo non sunt saeculares magistri, tum domestica regularis disciplina, Superiorum vigilantia et quotidiana inspectione munita, quae in saecularibus Professoribus, nullo obedientiae voto subjectis suis Superioribus, esse nequit, tum assiduus praeparandi lectiones scholaribus proponendas et explicandas labor, ab omni otio et evagatione et distractionibus externis remotus, a Superioribus religiosis eum quotidie urgentibus injunctus, in saecularibus praeceptoribus non visus,

[1]) S. Chrysost. In Gen. c. V hom. 10 (M. P. Gr. 53, 90). [2]) S. Thom. I 2 qu. 124 a 3 ad 3.

tum vitae religiosae quotidiana exempla, majora quam videantur in saecularibus, qui etsi vellent, non possunt ea edere, utpote destituti ea animi tranquillitate, quam saeculi negotia excludunt, adeo necessaria ad studia litterarum, et ea temperantia ac sobrietate, quae in bonis Religiosis viget, et quandoque etiam castimonia, quam ipse barbarus philosophus Averroës agnovit plurimum valere ad acquirendas et tradendas aliis scientias. Accedit impedimentum saecularibus praeceptoribus ex sollicitudine assidua de lucris, stipendiis et promotionibus ad altiora subsellia et gradus, et de juvandis sanguine vel affinitate junctis, ideoque et de cumulandis opibus, sine quarum desiderio et studio in statu saeculari non vivitur, de cura rei familiaris, de assequendis honoribus et opulentis sacerdotiis, et rebus similibus, a quibus consectandis religiosi magistri per sui conditionem status et per Superiorum suorum paternam providentiam sunt liberati. Ideoque veluti expediti a vinculis saecularis status et impedimentis, totos se libere virtutum et scientiarum studiis possunt impendere, in exemplum et utilitatem discipulorum suorum, ut ii non tantum docti, sed etiam probi evadant. Hanc ob causam, ut scribit S. Chrysostomus, Apostoli pauculi tantopere toti Ecclesiae profuerunt docendo et bene vivendo: *At, inquies, illi Apostoli erant. Sed, inquies, signa fecerant. Non signa certe ipsos mira-*

bilos ejecerunt. Multi enim, qui daemones ejecerant, quia iniquitatem operati sunt, mirabiles non fuerunt, sed suppliciis sunt affecti. Ecquid illos magnos effecit? Contemptus pecuniarum, vanae gloriae depectus, sequestratio a bonis saecularibus. Qui si haec non habuissent, etiamsi sexcentos mortuos suscitassent, non modo ad nihil utiles fuissent, sed etiam deceptores et fallaces habiti fuissent[1]). Ideo sanctissimi et sapientissimi et doctissimi Ecclesiae Praesules de recta puerorum institutione solliciti in Conciliis statuerunt, ut nonnisi probis moribus et eruditione spectati magistri scholis praeficerentur ad instituendam juventutem, et quid docere deberent, praescripserunt, in Conciliis Lateranensibus et Valentino et Parisiensi et Moguntino et Tridentino et Mediolanensi; et in Canonibus, qui nomine sextae Synodi (quae sexta est universalis et tertia Constantinopolitana) in quibusdam exemplaribus circumferuntur, praecipitur capite V, ut clerici scholas aperiant, et filios fidelium admittant et cum caritate doceant, nihilque pro suo labore vel petant vel accipiant, nisi siquid forte parentes ipsi sua sponte offerant, memores illorum Danielis

[1]) S. Chrysost. hom. 46 in Matth. (M. P. Gr. 58, 479). [2]) Conc. Later. sub Alex. III p. t. c. 18 et sub Innoc. III. c. 11 et sub Leone X. sess. 9 c. 7. Conc. Val. temp. Setarii c. 18 Paris. l. I c. 30 et l. III c. 12. Mogunt. c. 65. Trid. s. 23 c. 18 et s. 5 de Reform. c. 1: Mediol. I c. 2.

verborum: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates* [1]). Et Cardinales Interpretes Concilii Tridentini a Sede Apostolica deputati, statuerunt auctoritate Sedis Apostolicae: *Ante omnia in Seminario conducendus est grammaticus et musicus peritus, qui pueros instituat, quorum si reperiantur Iesuitae, ceteris anteponendi sunt.* Certe si nullus est tam crudelis, qui vitio vertat nobis, dum indigentes eleemosynis sublevamus per nos et per nostros amicos, non debent etiam id improbare in nobis, quod alios doceamus, tum propter alias utilitates, quae redundant in bonum S. Ecclesiae, tum quia, ut ait S. Bernardus, *non minus pium est docere animum scientiam, quam praebere escam corpori* [2]). Quia, ut scribit S. Nazianzenus, *doctrina et institutio ejus quoque, qui alios alit, cibus est et alimentum.* [3]).

Sane sapientissimi quique heroes ipso rationis ductu doctos et probos suis expetivere et quaesiere magistros et institutores. Ideo Philippus, Macedonum rex, laetatus, eo tempore sibi natum Alexandrum filium, quo poterat ab Aristotele tunc vivente honestis imbui disciplinis. Reges Persarum, ut scribit Plato in Alcibiade, nato principi ubique quaeri jubebant in suis

[1]) Daniel. 12, 3. [2]) S. Bernard. In Cant. serm. 15 (M. P. L. 183, 844). [3]) S. Greg. Naz. in Pascha (serm. 27). (M. P. Gr. 36, 2). [4]) Gellius l. IX c. 3. Plato. Alcibiades. Herod. Hist. lib. I et alii.

dominiis aptos doctores et rectores. Marcum Aurelium Imperatorem morti proximum, haec, maxime res moerore conficiebat, quod nesciret, cui concredere deberet Commodi, filii puerili, institutionem. Peleus, rex Thessaliae, e contra valde gavisus est ob adventum in suum regnum Phoenicis, ut ab eo Achilles filius instrueretur bonis artibus et moribus. Et Imperator Antoninus Pius ex Dalcide Graeciae accersiri curavit Apollonium philosophum pro nepotis sui Marci Antonini institutione. Felicia sunt ergo regna et urbes, quae a virtute et eruditione commendatis abundant magistris, ut non sit opus extra regna aliunde accersere doctores, virtututum ac scientiarum magistros, non ore tantum et calamo, sed etiam exemplo docentes.

QUARTA ACCUSATIO.

Quidam in regno Poloniae damnant nostrum in docendis humanioribus litteris modum ac methodum, quo ajunt aequo diutius in una schola egregios detineri a nobis adolescentes, nec permitti plures ab iis adiri professores et scholas ad altiora studia capessenda idoneos, et in scholis ipsis frequenti disputatione, praemiorum victoribus conferri solitorum illecebris ad contentiones et ambitum teneros animos assuefieri, ac interim a multiplici eruditione arceri, quam assequerentur, si alia methodo ac ratione in

scholis instituerentur. Damnant et hoc aliqui, quod flagellis et ferulis adolescentes negligentes vel improbos puniamus.

Quibus sane opponimus evidens argumentum nostrae institutionis optimae et contrario modo docendi longe anteponendae. Ex nostris enim scholis quamplurimi in scholis aliis non instituti prodierunt in omni disciplinarum genere viri judicio omnium, etiam Societatis aemulorum et adversariorum, clarisssimi, quibus doctiores et celebriores scholae aliae, nostrum docendi modum damnantes, non protulerunt. An in Sacrarum Litterarum interpretatione deteriores sunt commentatoribus aliis Franciscus Ribera, Franciscus Toletus, Ioannes Maldonatus, Daniel Pererius, Alphonsus Salmeron, Ioannes Pineda, Gaspar Sanctius, Martinus Delrius, Christophorus Castrius, Sebastianus Barradius, Vincentius Regius, Ioannes Lorinus, Vasquez, Cornelius a Lapide, Franciscus Mendoza, Hieronymus Pradus, Ioannes Baptista Vilalpandus, Nicolaus Serarius, Cosmas, Magalianus, Blasius Viega, Ioannes Stephanus Menochius, Benedictus Iustinianus? Recensui non omnes, sed quorum memini praecipuos, et deinceps recensebo, nullo servato dignitatis aut excellentiae ordine, prout meae memoriae occurrerunt, ut nullus vitio vertat, si a me sit loco ultimo positus, qui prius poni debuerat.

An in Theologia scholastica in nostris scho-

lis pejus profecerunt quam alibi alii: Ludovicus Molina, Franciscus Suarez, Gabriel Vasquez, Gregorius de Valentia, Ioannes de Salas, Petrus de Artubal, Michael Vasquez, Leonardus Lessius, Iacobus Granadus, Aegidius Conninck, Didacus Ruiz, Martinus Becanus, Ioannes de Lugo, Adamus Tannerus, Henricus Herriquez, Gaspar Hurtadus, Franciscus Albertinus, Antonius Carvalius, Christophorus Gillius, Franciscus Amicus, Hieronymus Fasolus, Iosephus Augustinus, Petrus Vadingus, Rodericus de Arriaga, Stephanus Bubalus, Stephanus Fagundez, Theophilus Raynaudus, Valentinus de Herice, et alii multi recentiores?

In controversa Theologia cui postponetur in scholis aliis enutrito Petrus Canisius, Robertus Bellarminius, Gregorius de Valentia, Stapletonus, Iacobus Gretserus, Martinus Becanus, Iacobus Gordonus, Franciscus Turrianus, Edmundus Angerius, Edmundus Campianus, Franciscus Costerus, Ioannes Duraeus, Petrus Cortonus, Antonius Possevinus, Robertus Personius, Christophorus a Sacrobosco, Ioannes Busaeus, Petrus Tyraeus, Sebastianus Heyssius, Theodorus Peltonus, Adrianus Iungius, Alexander Regourdus, Alphonsus Pisanus, Ambrosius Pennalosa, Petrus Pasmanii, Andreas Eudaemonioannes, Christophorus Major, Andreas Iurgevicius, Emanuel de Vega, Gerorgius Scherer, Iacobus Gualterius, Iacobus Kellerus, Iacobus Wujekus, Mar-

tinus Smiglecius, Petrus Skarga, Laurentius Arturus, Laurentius Forerus, Maximilianus Sandaeus?

In Theologia morali quis audebit damnare nostram docendi rationem, qua usi tam bene humanis conscientiis consuluerunt Thomas Sanchez, Franciscus Toletus, Leonardus Lessius, Ioannes Azor, Paulus Comitolus, Ferdinandus Rebellus, Vincentius Fillucius, Paulus Layman, Stephanus de Avila, Stephanus Ferdinandus Castius Palaus Fagundez, Valerius Reginaldus, Emanuel Sa, Nicolaus Baldellus, Martinus Bonacina, Petrus Navarrus?

Inter Philosophos, qui e nostris solis scholis prodierunt, an non primis annumerandi sunt Benedictus Pererius, Franciscus Toletus, Petrus Fonseca, Franciscus Suarez, Petrus Hurtadus, Antonius Rubius, Hieronymus Dandynus, Theophilus Rainaudus, Gabriel Vasquez, Rodericus de Arriaga?

In libris spiritum ac devotionem promoventibus editis et asceticis an non excelluerunt in scholis Iesuiticis educati? Franciscus Arias, Bernardinus Rossignolius, Ludovicus de Ponte, Hieronymus Platus, Domitius Platus, Bartholomaeus Riccius, Iacobus Alvarez de Paz, Iulius Facius, Lucas Pinellus, Vincentius Brunus, Alphonsus Rodericius, Iulius Nigronius, Antonius de Balinghem, Antonius Sucquet, Carolus Musart, Carolus Scribanius, Christophorus Madridius, Gaspar

Loartes, Hieremias Drexellius, Ioannes Busaeus, Ioannes Crombecius, Ioannes David, Ioannes Eusebius Nierenbergius, Thomas Massucius, Ioannes Niess, Ioannes Bonifacius, Franciscus de la Croix, Ioannes Pelecius, Ludovicus Cressolius, Martinus de Roa, Petrus Iustinellus, Stephanus Binetus, Theophilus Bernardinus, Christianus Mayer, Franciscus Costerus, Fulvius Androtius et alii quam plurimi?

Historici e scholis Societatis prodierunt non deteriores neotericis. Ioannes Petrus Maffeus, Ioannes Mariana, Petrus Ribadeneyra, Nicolaus Orlandinus, Franciscus Sacchinus, Famianus Strada, Nicolaus Serarius, Iosephus a Costa, Horatius Tursellinus, Iacobus Salianus, Andreas Schottus, Antonius Possevinus, Matthaeus Raderus, Heribertus Rosveydus, Christophorus Brovierus, Dionysius Petavius, Iacobus Gaulterius, Iacobus Gordovus, Ioannes Antonius Valtrinus, Iacobus Gretserus, Iacobus Sirmondus, Nicolaus Godignus, Thomas Saillius, Henricus Samerius, Ioannes Eusebius Nieremberg, Hermannus Hugo.

Mathematicis, qui primo Societatis saeculo prodierunt, primariis an non accensendus est in scholis nostris edoctus Christophorus Clavius, Christophorus Griemberger, Christophorus Scheyner, Ioannes Voellus, Athanasius Kircher, Dionysius Petavius, Franciscus Aguilonius, Georgius Schombergerius, Gregorius a S. Vincentio, Paulus Guldin?

Eruditione sacra et profana plenissime a nostris instituti quibus academicis cedunt? Andreas Schottus, Iacobos Sirmundus, Martinus Delrius, Iacobus Salianus, Martinus Roa, Iacobus Pontanus, Ioannes Ludovicus de la Cerda, Melchior Cerda, Nicolaus Caussinus, Laelius Bisciola, Fronto Ducaeus, Dionysius Petavius, Theophilus Raynaudus, Ludovicus Cressolius, Iulius Caesar Bullingerus, Iacobus Bideumannus, Iulius Nigronius, Melchior Inchofer, Matthaeus Raderus, Ioannes Eusebius Nieremberg.

Poëseos, eloquentiae et rhetoricae laude incliti, a quo non commendantur, quamvis non alibi quam in Societatis scholis id sint assecuti? Ioannes Petrus Perpinianus, Franciscus Bencius, Tarquinius Gallutius, Iulius Nigronus, Dionysius Petavius, Vincentius Guinisius, Cyprianus Suarez, Franciscus Remondus, Alexander Donatus, Matthias Casimirus Sarbievius, Andreas Schottus, Ioannes Baptista Ferrarius, Iacobus Pontanus, Horatius Tursellinus, Angelinus Gazaeus, Balduinus Cabillarius, Bernardinus Stephanius, Bandinus Gualfredurius, Bernardus Bauhusius, Carolus Malapertius, Constantius Pulcharellus, Gilbertus Ioninus, Iacobus Bidermannus, Ioannes Niessi, Ludovicus Crucius, Nicolaus Caussinus, Emanuel Alvarus, Iacobus Gretserus, Andreas Blancus, Arnaldus Bohyraeus, Franciscus Montmorency?

Multo plures alios, ut audio, in omni scien-

tiarum et disciplinarum genere excellentissimos in nostris scholis institutos invenies in Bibliotheca accuratissima Scriptorum Societatis a R. P. Philippo Alegambe, viro eruditissimo et de re litteraria optime merito, in solis nostris scholis Romae, ea doctrina, quam omnes academiae merito suspiciunt, imbuti, cum expressa concessione Urbani VIII. Pontifici Maximi, Antverpiae non ita pridem impressa, quam nondum vidi, brevi a bibliopolis huc quoque, ut spero, advehenda.

Quocirca Urbanus VIII., quo vivente haec scribo, post Gregorium XV. in scholis Collegii nostri Romani a pueritia institutum et ipse earum discipulus, postea ad summum Pontificatum evectus, confirmans externorum seminaria nostrae institutioni, regimini et fidei concredita, in pluribus Bullis Pontificiis sic nostrum docendi modum institutionemque juventutis commendat: *Cum dilectorum filiorum presbyterorum Societatis Iesu in hoc educandorum instituendorumque adolescentium munere diligentia, fides, integritas et in aliis ejusmodi Collegiis satis cognita sit atque perspecta, eos ipsorum regimini, institutioni, doctrinae subjicimus.*

Merito ergo vir clarissimus Ioannes Amos Comerius in Pansophiae Prodromo, ad reformandas scholas ab Anglis et Danis et Batavis vocatus, tradens reformandarum scholarum et recte instruendae juventutis modum, in studio

latini sermonis sic monet et Societatis in docendo rationem probat: *Contendant,* inquit, *bini auscultante toto coetu et magistro, de promptitudine memoriter recitandi, interpretandi, anomala declinandi et conjugandi, homonyma et paronyma distinguendi, syntactice construendi, quaestiones formandi et ad eas respondendi. Victori proemium, si aliud dejuerit, applausus est publicus et superioris loci honor. Sed optandum esset alia etiam diligentiae incitamenta, munuscula, a scholarum patronis subministrari* [1]).

Et: *Salutare admodum pueris fore, si librorum eis nullorum copia fiat, praeter quos classi suae destinatos habent. Cur ita suadeam, causae sunt in promptu:*

1. *Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Simul agendo nihil recte agimus. Habeant ergo interim sibi sola haec suum in usum tanto studio elaborata, his attendant, aliis ne distrahantur: usus assiduus uni rei deditus et ingenium et artem saepe vincit, inquit Cicero.*

2. *Delectum rerum adhibere pueri et adolescentes nondum possunt, possunt facile incidere in ea, quae se confundant et intricent, si quidvis contrectandi occasio sit.*

3. *Quod Romani praecones Capitolium ad sacris operandum ingressuris acclamare solebant: Hoc*

---

[1]) I. A. Comerius Pansophiae prodr. n. 285 pg. 197 Londini 1639.

age, ad id pueros etiam commonefacere bonum est, ut auctoribus immorari, non per eos volitare adsuescant.

4. *Denique immoderato studio vigor ingenii, praesertim igni atteritur, quod praecavendum. Tardiores vero, cum nihil varium et diffusum ante se vident, sed pensa sua pugno circumferunt, facile illa superandi animos induunt* [1]).

Et haec quoque causa est, cur Societas non permittat suos discipulos diversis eodem tempore intendere scientiis, sed in una sola radices figere unius scientiae, et ea acquisita progredi ad altiorem. Bene enim monuit Seneca: *Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui multius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim et properantes transmittunt. Non prodest cibus nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil aeque sanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quae saepe transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum* (lectionum) *multitudo. Itaque cum legere non possis, quantum habueris, sat est habere, quantum*

[1]) Ib. n. 287 pq. 199. [2]) Senec. Epist. 21.

legas. Sed modo, inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum. Fastidientis stomachi est multa degustare, quae, ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt [1]). Et S. Basilius, quem S. Gregorius Nazianzenus, condiscipulus, ait fuisse omnium scientiarum cognitione praeclare imbutum, expertus, quam perniciosa sit haec eodem tempore per diversas disciplinas peregrinatio, monuit suos, eam ut fugerent: *Neque enim,* inquit, *aut scientiam probe callere potest, qui ab alia ad aliam transit, neque unam etiam comparare, qui ea quae propria finis sunt, ignorant* [2]). Perspecta autem non habebit, si per varias scholas eodem tempore vagabitur. Quocirca talem morem multa simul disparata discendi vel audiendi possumus cum S. Bernardo appellare *damnosam peritiam,* qui ejus damna enumerat [3]). Unde evenit, ut per hanc festinationem et veluti peregrinationem ingeniorum in scholis nulla scientia acquiratur perfecte. Quocirca saepe videmus et audimus, a nostris discipulis nostro more in scholis nostris eruditis, etiam non primariis, facillime disputando vinci et superari in hoc regno Poloniae magnos et celebres aliarum scholarum professores, idque repente et ex tempore, dum illos sine ulla praevia praeparatione, vel

[1]) Seneca ep. 21. [2]) S. Basil. Reg. fus. Interrog. V (M. P. G. 31, 920). [3]) S. Bern. Serm. 24. De modo bene vivendi.

in conviviis, vel in aliis honestis consessibus aggrediuntur. Hinc quoque oriri dolemus, celeberrimos in hoc eodem regno eloquentiae et litterarum humaniorum professores nostrum docendi modum et privatim et publice, verbis et scriptis, improbantes, foedissimis suas lucubrationes typo vulgatas coinquinare barbarismis et solaecismis, et carmina etiam non longiuscula conspurcare turpissimis contra prosodiae praecepta maculis, breves producendo syllabas, longas corripiendo. Ne vero id incredibile videatur, exempla id demonstrant, posita in eorum libellis impressis et perviis; quae, si aliquando necesse fuerit, facile proferentur in lucem.

Huc accedit, quod sciamus certo, nostrorum professorum scripta, publice in Collegiis nostris dictata, tam philosophica quam theologica quam humaniorum litterarum, ab externis professoribus nostrum docendi modum carpentibus in suis academiis ad verbum suis esse dictata; et carmina olim publice in tot scholis nostris affixa, a discipulis nostris composita, in academiis quibusdam, nostro nomini non addictis, fuisse publice exposita incauto furto, tanquam in academiis illis primum nata. Et quod mirere magis, constat nobis, in iisdem academiis nostrum docendi modum exsibilantibus, ex libris impressis a Societatis professoribus editis, discipulis academicis ad verbum dictari commentarios, quasi a professoribus academicis conscri-

ptos. Quod postea etiam eorum auditores agnoverunt, visis apud bibliopolas vel in aliorum bibliothecis nostrorum impressos commentarios. Ita, velint, nolint, censores nostri nostrum docendi modum suis comprobant factis; licet ore damnent, a corde et contrario judicio discrepante.

Accedit ad hoc propositum et hoc argumentum validissimum ad comprobandum nostrum in scholis docendi modum, quod viderim multos viros praeclarissimos iisque familiariter usus fuerim in hoc Poloniae regno, olim in cujusdam academiae maxime scholis nostris infensae institutos, et antequam scholas nostras frequentarent, et postea utrarumque scholarum degustata bene institutione et disciplina, nostrae institutionis modum illi anteposuisse quoad omnia. Imo ad gradus litterarios in illa promotos ultro illas disciplinas in nostris scholis repetiisse, per quas nulli patet ad gradus litterarios promotio. Viderunt enim, se non consecutos in illa academia tantam scientiarum cognitionem, quantam meretur praemium laureae magisterii in aliis academiis bene ordinatis non nisi dignissimis conferri solitum, et quantam agnoscebant inesse nostris discipulis, nulla doctoratus vel magisterii laurea insignitis. Eosdem vidi, nec paucos nec infimae sortis homines, sed praecipuos et senatoria dignitate in suis urbibus, quas incolebant, pro meritis ornatos, et in eadem aca-

demia olim professores et laurea doctoratus donatos, suos liberos noluisse illi academiae, cujus olim erant discipuli et alumni et professores, erudiendos concredere, sed cum non exiguo sumptu ad nostras scholas et in eadem urbe et in remotioribus civitatibus sitas, misisse; ut litterariis disciplinis a nostris hominibus eo imbuerentur modo, quem alii iniqui censores tanquam minus utilem, imo juventuti perniciosum, et lingua et calamo damnare consueverunt. Quocirca et hinc manifeste apparet, nostram scholasticam institutionem esse excolendis ingeniis utiliorem et immerito a quibusdam damnari minus doctis, minus eruditis et ad docendum alios minus aptis, ne dicam ineptis, spectata eruditione et cognitione rerum ac scientiarum, modoque et ratione eas tum pueris tum adultis tradendi. Contraria ergo judicia ex odio vel livore nascuntur. Verum est enim illud Lucani:

Stimulos dedit aemula virtus
Nec quenquam jam ferre potest Caesarve priorem
Pompejusve parem.

Opponimus his invidis censoribus nostrorum gymnasiorum celeberrimarum academiarum in Hispania, Gallia, Belgio et Italia ac Germania contraria judicia de nostra doctrina, eruditione, et omnes, quas tractamus disciplinas, docendi modo. Quocirca vir magni nominis et judicii, Florimundus Remondus, in praeclaro opere de ortu, progressu et ruina (quam merito ominatur) hae-

reseon, ubi Societatis primum meminit: *In his*, inquit, *Collegiis infinitus quasi est Iesuitarum numerus, quorum de doctrina tanta est existimatio, ut scientiae omnes perditae eorum opera restitui posse videantur.* Quod quidem vir clarissimus et doctissimus tunc scripsit de Societatis scholis, quando nondum lucem viderant tot professorum Societatis volumina, res theologicas, philosophicas, humaniorum litterarum et alias cum applausu et approbatione doctissimorum virorum in aliis academiis celebrium postea edita. Totus orbis terrarum haeresi non infectarum, nec invidia, nostrorum auctorum libros admiratur et praedicat, et ipsi nostri Ordinis et doctrinae censores avide illos conquirunt et emunt, ut multa, quae nesciverunt, addiscant. Hoc beneficium Societati a Deo concessum illi attribuimus. *Ut autem agricolis perjucundum est*, inquit Plutarchus, *videre spicas inclinatas ad terram et nutantes, nam quae ob laeritatem sursum tendunt, inanes esse creduntur, ita philosophastri quidam vani, nihil habentes ponderis aat gravitatis, elato sunt animo, et in habitu, incessu vultuque nihil praeter merum fastum aliorumque prae se contemptum produnt* [1]).

Denique vitio verti non debet, quod adolescentes improbos vel negligenter litteris dantes operam moderata castigatione ad officium re-

[1]) Plut. lib. de prof. mor.

vocemus, quia hoc didicimus a suprema et infinita sapientia ac prudentia praedito Doctore Deo. qui sic adolescentiam tractandam omnes docuit: *Qui parcit virgae, odit filium suum* [1]). Et: Et: *Noli subtrahere a puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur; tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis* [2]). Et: *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut laetetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia* (scilicet popinas, lapanaria) [3]) et: *Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus, dum infans est, ne forte induret et non credat tibi, et erit tibi dolor animae* [4]). Qua de re princeps omnium academiarum, doctorum et magistrorum, ipse olim celeberrimus eloquentiae professor, sic docuit Augustinus: *Quid sibi volunt multimodae formidines, quae cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? quid paedagogi, quid magistri, quid ferulae, quid lora, quid virgae, quid disciplina illa, qua Scriptura sancta dicit, dilecti filii latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam durius aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid agitur his poenis omnibus, nisi ut debelletur imperitia et prava cupiditas infrenetur?* [5]). Malumus Dei mandato et S. Augustini monito parere quam illorum academicorum imitari indulgentiam, qui discipulorum in studiis negli-

[1]) Prov. 13, 24. [2]) Prov. 23, 13. 14. [3]) Eccl. 30, 1. [4]) Ibid. v. 12. [5]) S. Aug. De civ. Dei lib. XXIII c. 22.

gentiam, in moribus nequitiam, flagris non cohibent, hoc praetextu, ne eos reddant pusillanimes et animi generositatem opprimant reipublicae necessariam. Deo enim magis credimus, contrarium suadenti Ecclesiastico: *Lacta filium, et paventem te faciet, lude cum eo, et contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas. Non des illi potestatem* [1]).

QUINTA ACCUSATIO.

Damnant et hoc quidam Catones, quia libros profanos poëtarum et historicorum, tum nostri professores, tum alii legunt, non solos divinos et sacros, eorumque sententiis et exemplis sua scripta et conciones exornant, et quod tam multos libros scribant et edant, etiam de politicis et profanis argumentis. Sed iis

Respondemus primo cum S. Basilo talium lectionem laudante et suadente, oratione peculiari de legendis libris Gentilium: *Quemadmodum,* inquit, *infectores quidquid tingendum est, prius curis quibusdam praeparant et ita demum colorem, sive purpureum sive quempiam alium inducunt, eodem modo nos quoque, si indelebilis in nobis honesti gloria omni tempore permansura est, his externis ante initiati, deinde sacras et arcanas disciplinas addiscemus.* Modum autem legendi talem servamus, qualem idem Sanctus in eadem oratione

[1]) Eccl. 30, 9 sequ.

seu homilia praescribit. *Ut reliqui solo florum bono odore aut colore perfruuntur, apes vero mel etiam ex eis excerpere norunt, ita hi quoque, qui non solum ejusmodi librorum jucunditatem ac suavitatem consectantur, iis licet aliquid etiam utilitatis ex illis in animo ponere. Omnino igitur ad apum exemplum his libris utendum vobis est. Illae enim neque floribus omnibus ex aequo insidunt neque ad quos advolarint, eos toto auferre conantur, sed cum ex eis quantum idoneum est ad opus, semel collegere, reliqua dimittunt. Nos quoque si sapimus, ubi quantum nobis congruit ac veritati affine est, ex his scriptis collegerimus, reliquum praetermittemus* [1]). Conducit enim et ad intelligentiam et ad interpretationem Scripturae Sacrae gentilium librorum accurata lectio, ut docent alii SS. Patres: Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Nazianzenus, Damascenus, Beda, S. Pacianus Episcopus Barcinonensis et alii [2]). *Sicut,* ait B. Petrus Damianus, *aurum et argentum cum vestibus ab Aegyptiis petimus, unde Domino tabernaculum fabricemus, cum mundanos poëtas ac philosophos legimus, ut in divinis eloquiis luculentius proficere valeamus* [3]). Aliter hoc ipsum commendat S. Cyrillus Alexandrinus: *Accipit aliquis ab Aegypto et*

[1]) S. Basil. Sermo de legendi libris gentilium. (M. P. Gr. 31, 568). [2]) S. Chrys. hom. 3 in ep. ad Tit. S. Hieron. Ep. 2 ad Pamm. S. Aug. De doctr. christ. lib. I c. 28. S. Greg. Naz. ad Seleuc. De recta educ. et or. ad Cath. Const. S. Ioann. Damasc. De fide orth. lib.

Pharaone et offert Deo, accipiens ab impia philosophia ac eruditione veluti hostias linguae facundiam et eloquentiam, et in admiscendis dogmatibus pietatis, immo et pietatem ornans. Quemadmodum arooris propria virtus est, ait S. Basilius, *tempestivo fructu scatere id tamen folia etiam circum ramos exagitata aliquid eis ornamenti conciliant, ita et animae quoque primarius fructus est veritas ipsa, sed tamen haud ingratus est externae sapientiae amictus, tanquam si folia quaedam fructui et umbraculum et aspectum non inamoenum praebeant*[1]).

De Moyse legimus testimonium S. Stephani (Act. 7, 22), *quod eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum.* Imo non tantum aegyptiis, sed etiam graecis, assyriis chaldaeisque litteris eruditum fuisse, scribit Philo, Apostolis coaevus libr. I de vita Moysis. S. Danielem Prophetam omnem Chaldaeorum disciplinam tenuisse, docet S. Hieronymus, et Apostolum Paulum S. Augustinus[2]) versatum fuisse ait in scriptis Gentilium, etiam poëtarum, ideoque versus Spiritus S. instinctu citasse aliquoties ex Arato in Curia Martis apud Athenienses (Act. 17, 28), ex Epimenide ad Titum (1, 12) seu ex Callimacho, ut vult Origenes (libr. 3 contra Celsum).

IV c. 18. S. Isid. Pelus. Ep. lib. II, 3. [3]) S. Petr. Damian. Sermo VI. (M. P. L. 144, 521). Orig. h. 31 in Luc.

[1]) S. Basil. Sermo de legendis libris gentilium (M. P. Gr. 31, 568). [2]) S. Hieron. Ep. 84 ad Magn. S. Aug. De doctr. christ. lib. II c. 40.

sed minus probabiliter. Nam et Plato libro de legibus, et Cicero libro de divinatione, et Diogenes Laertius, praeter S. Hieronymum, faciunt Epimenidem illius dicti auctorem.

Idem S. Paulus Apostolus 1 Corinth. 15, 33 ex Menandro citat illud: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Et S. Paulus Apostolus quidem non propria voluntate, sed Spiritus Sancti impulsu his ethnicorum sententiis suam concionem et scripta ad communem totius Ecclesiae Dei instructionem illustravit. Quocirca nostris hominibus idem vitio non vertant neoterici reformatores nostrarum concionum et librorum, cum S. Paulum imitamur, hoc facientem ab ipso Deo edoctum. Passus est hanc censuram etiam S. Hieronymus, ideo purgans se apud magnum oratorem Romanorum, quaerentem, cur libris ecclesiasticis admisceret litteras ethnicorum: se id fecisse multorum Ecclesiae Doctorum exemplis, scribit, quorum libri pleni sunt testimoniis ethnicorum, et nominat Origenem, Methodium, Eusebium, Apollinarium, Quadratum, Aristidem, Iustinum Martyrem, Melitonem Sardensem, Dionysium Corinthiorum Episcopum, Tatianum, Bardelsanem, Irenaeum, Clementem Alexandrinum, Hippolytum, Iulium Africanum, Dionysium Alexandrinum, Anatolium, Pamphylum, Picerium, Lucianum, Malchionem, Eusebium Caesariensem, Eustachium Antiochenum, Athanasium Alexandrinum, Eusebium Emisenum, Triphylium

Cyprium, Asterium Scythopolitam, Serapionem, Titum Bostresem Episcopum, Basilium, Gregorium, Amphilochium, Minutium Felicem, Arnobium, Lactantium, Cyprianum, Hilarium, *qui omnes*, inquit, *in tantum Philosophorum doctrinis atque sententiis suos refarciunt libros, ut nescias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem saeculi, an scientiam Scripturarum.*

Sane de S. Basilio scribit ejus condiscipulus S. Gregorius Nazianzenus. (Orat. 20 de laudibus Basilii): *Eum fuisse rhetorem inter rhetores, philosophum inter philosophos, nullumque disciplinae genus fuisse, in quo versatus non sit, atque ita eximie versatus, quasi in eo solo elaborasset. Etiam astronomiam et geometriam et numerorum proportiones didicerat, quin et medicinam corporis morbus ac morbi curatio necessariam illi reddiderat, unde exorsus ad artis habitum pervenit*[1]).

Si ergo sine praejudicio sanctitatis et vitae spiritualis jactura licuit huic S. Doctori, in Oriente omnium Regularium et Ascetarum Magistro et veluti Fundatori, profanis diuturno tempore vacare doctrinis et libris ad non profanum finem evolvendis et excerpendis, licebit et nostris hominibus idem factitare ob finem eundem divinae propagandae gloriae et salutis ani-

[1]) S. Greg. Naz. Or. 43 in laud. Basil. (M. P. Gr. 36, 511 sequ.

marum, quas his speciosis hamis et veluti retibus allicimus, ut Christo piscemur et aggregemus.

Hanc ob causam de Angelico scientia et vitae sanctimonia Doctore, cujus sanctimoniae nescio, an nostri censores se aequare audebunt, nam aliis eos se anteponere scimus, de S. Thoma Aquinate, Theologorum Principe ita S. Ecclesia in ejus officio scribi decrevit et quotannis legit: *Nullum fuisse scriptorum genus, in quo non esset diligentissime versatus.* Et tamen cum tanta scriptorum etiam profanorum lectione conjunxit vitae sanctimoniam, et donum habuit altissimae contemplationis, quale nondum rescivimus habere hos studiorum nostrorum reformatores.

Et S. Bonaventura respondens ad cujusdam magistri innominati objectiones, factas contra Regulam S. Francisci, inter quas una erat de studio scholarium et magistrorum, ostendit, recte fieri, quod Religiosi legant libros philosophorum, idque probat exemplo S. Augustini, qui in libris De doctrina Christiana ostendit, *non posse intelligi Sacram Scripturam sine aliarum scientiarum peritia* [1]).

Et quod mirere magis, vitae austerissimae Praesul sanctissimus, Carolus Borromaeus, Archiepiscopus Mediolanensis et Cardinalis, teste Giussano in ejus Vita praestantissima (lib. VIII

[1]) S. Bonav. Epist. ad mag. innom.

c. 29), etsi in Archiepiscopatu potissimum attenderet studiis S. Scripturae, SS. Patrum et historiae ecclesiasticae, sex horas quotidie studiis dans, iisque continuis, in ultimis annis vitae suae, aliis vero tres vel quatuor, tamen delectabatur etiam aliis scientiis easque callebat, imo dicebat, *parum valere hominem, qui non conetur habere cognitionem omnium rerum.* Merito, quia, ut scripsit S. Clemens Papa, S. Petri discipulus et auditor S. Pauli Apostoli: *Cum quis ex divinis Scripturis firmam veritatis regulam susceperit, absurdum non erit, si aliquid ex eruditione communi ac liberalibus studiis ad assertionem veritatis dogmatis conferat.*

Paremus ergo consilio hujus Sanctissimi Romani Pontificis et Martyris, dum et conciones nostras et libros ethnicorum sententiis et exemplis respergimus, hoc enim qui faciunt, judicio S. Augustini [1]) res nostrae religionis et fidei hac seculari eruditione tanquam spoliis Aegypti exornant. *Quemadmodum arboris propria virtus est,* inquit S. Basilius, *tempestivo fructu scatere et tamen folia etiam circum ramos exagitata aliquid eis ornamenti conciliant, ita et animae quoque primarius fructus est veritas ipsa, sed tamen haud ingratus est externae sapientiae amictus, tanquam si folia quaedam fructui et umbraculum et aspectum non inaemonum praebeant* [2]) Et haec causa fuit,

[1]) S. Aug. De doctr. christ. lib. II c. 4 lib. III c. 40. [2]) S. Basil. Ad adolescentes (M. P. Gr. 31, 568).

ob quam, invidens Ecclesiae eruditos scriptores, persecutor Ecclesiae Iulianus Apostata, teste S. Augustino, S. Nazianzeno et aliis, vetuerat, ne Christiani liberalibus litteris et scientiis discendis ac docendis vacarent, idque S. Augustinus inter Ecclesiae persecutiones reponit [1]). Sciebat enim hostis Ecclesiae, ad confutandum falsorum deorum cultum, ad quem desciverat, plurimum valere dicta et facta ethnicorum in eorum libris descripta, uti et ad ostendendam enormitatem fugiendorum et e convictu humano exterminandorum vitiorum. Ideo scriptores ecclesiastici veteres ipsorum ethnicorum armis eos expugnabant, quia, ut loquitur S. Hieronymus, volebant *cum Christo Davide extorquere de manibus hostium gladium et Goliae superbissimi caput proprio mucrone truncare* [2]). Quocirca, ut ait S. Ioannes Damascenus. *Si quid utilitatis ex externis auctoribus* (hoc est ethnicorum libris) *decerpere possimus, quominus id faciamus, nihil vetat, dummodo probi nummularii simus, verum ac purum aurum aggerantes* (bonarum sententiarum et exemplorum) *adulterinum vero* (errorum gentilitatis) *repudiantes. Quae bene ornateque dicta sunt, sic suscipimus, ut ridicula numina absurdaque fabulas canibus projiciamus* [3]). *Sicut enim Aegyptii,*

[1]) S. Aug. De civ. Dei lib. XVIII c. 52. [2]) S. Hieron. Ep. 84 [3]) S. Ioann. Damasc. De fide orth. lib. IV c. 19 (M. P. Gr. 94, 1177).

inquit S. Augustinus, *non solum idola habebant et onera gravia, quae populus Israel detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento, et vestem, quae ille populus exiens de Aegypto sibi potius tanquam ad usum meliorem clanculo vendicavit, sic doctrinae omnes gentilium, non solum simalata et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent; quae unusquisque nostrum debet abominari atque devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores et quaedam morum praecepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinae providentiae eruerunt et quo perverse abutuntur, debet eis auferre christianus ad usum justum praedicandi Exangelii. Vestem quoque illorum, id est hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanae societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit, in usum convertenda christianum. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspicimus, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam? Quanto innumerabiles Graeci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum?* (Act. 7, 22). *Quibus omni-*

has viris superstitiosa gentium consuetudo disciplinas, quas utiles habebat, nunquam commodaret, si eas in usum colendi unius Dei, quo vanus idolorum cultus exscinderetur, conversum iri suspicaretur[1]).

Accedit, quod talium librorum lectio est necessaria ad bene intelligendas Scripturas, ut observavit S. Augustinus. *Quod si aliquis contradicit*, inquit S. Hieronymus (in capite 3 epist. ad Galatas) *exponat, quomodo de communi opinione sit sumptum, callis Titanorum in Regnorum libris Sirenae et Onocentauri in Isaia, Arcturus et Orion et Pleiades in Iob et cactera his similia, quae utique vocabula gentilium fabularum et causas et origines habent.* Similia his habet S. Ambrosius[3]).

Ob has utilitates S. Chrysostomus docet, *adolescentes eruiendos non tantum in Scripturis divinis, sed in Graecorum etiam* (hoc est ethnicorum, sic enim eos Patres Graeci appellare solent), *et philosophorum doctrina*[4]). Et S. Gregorius Nazianzenus: *Id inter omnes sanae mentis homines constare arbitror, eruditionem [profanam] inter humana bona principem locum tenere. Loquor de externa etiam, quam plerique christiani pravo quodam judicio, ut insidiosam et periculosam ac pro-*

[1]) S. Aug. De doctr. christ. lib. II c. 40 (M. P. L. 34. 63). [2]) S. Hieron. In cap. 3 ep. ad Gal. (M. P. L. 26. 373). [3]) S. Ambr. De fide lib. III passim (M. P. L. 16, 614 sequ.). [4]) Cfr. S. Chryst. In Tit. hom. 3 (M. P. Gr. 62).

cui a Deo avertentem aspernantur [1]). Et orat. 1 in Iulianum Apostatam haec studia Christianis vetantem dicit, *se hanc politiorem litteraturam et primam post divinam esse amplexatum.* Sic et S. Chrysostomus describens conditiones optimi sacerdotis, quales debent esse omnes Religiosi, conjungit cum vitae sanctimonia etiam scientiarum profanarum, tanquam illi convenientem, cognitionem. Docet enim sic: *Pronunc duntaxat esse oportet, utpote qui tanto ministerio dignatus sit, sed etiam prudentem et rerum peritum multarum; multa quoque saecularia nosse debet, non minus quam ii, qui in medio rerum versantur* [2]).

Ideo S. Gregorius Papa ait, fabros ferrarios in Ecclesia deesse, cum desunt etiam doctores saecularium litterarum. *Quae profecto saecularium librorum eruditio,* inquit, *etsi per semetipsam ad spiritualem Sanctorum conflictum non prodest, si divinae Scripturae conjungitur, ejusdem Scripturae scientia subtilius eruditur. Ad hoc quidem tantum liberales artes discendae sunt, ut per instructionem illarum divina eloquia subtilius intelligantur. Aperte quidem daemones sciunt, quia dum saecularibus instruimur, in spiritualibus adjuvamur* [3]).

Eandem ob causam multi Societatis scriptores de profanis argumentis libros ediderunt, de

[1]) S. Greg. Naz. Or. 43 in laudem Basil. M. (M. P. Gr. 36, 597). [2]) S. Chrys. De sacer. (M. P. Gr. 48, 68). [3]) S. Greg. M. In prim. Reg. expos. lib. V c. 3 (M. P. L. 79, 375).

militia Romana, de magnete, de opticis et perspectiva, de profanis historiis, de rebus politicis, oeconomicis, musicis, de magicis disquisitionibus, de moribus, de doctrina temporum, de mathematicis disciplinis, de astronomicis, de cosmographicis, de ponderibus et mensuris, de symbolis heroicis, de militia equestri vetere et nova, et de aliis similibus, nec non varia poëmata et carmina de variis rebus.

Scripserunt talia nostri homines, tum, ut suppeditarent materiam professoribus academiarum, in quibus talia tractantur, tum ut eos, qui lectione librorum et carminum obscaenorum cum magna Dei offensa et virtutis jactura delectantur, ab ea averterent, objectis speciosis et delectabilibus argumentis, circa quae se possent et obscaena et pura, sed curiosa ingenia occupare, et loco otii et inanium confabulationum tempus utilius traducere. Hoc movit viros sanctissimos ad similes tractatus scribendos et edendos, qui in eorum operibus leguntur. Sanctissimus erat Doctor Ecclesiae Augustinus et simul devotissimus, ut ejus opera testantur, plenissima contemplativis affectibus affectibus Theologiae mysticae (quibus majores et plures non habent nostri censores) expressis in ejus Confessionum libris et Soliloquiis et Meditationibus; is tamen sine jactura devotionis et contemplationis non tantum infinita quadam eruditione ex ethnicorum libris hausta implevit viginti duos

libros de Civitate Dei, aliosque, sed etiam scripsit de grammatica, de dialectica, de rhetorica, de divinatione daemonum, de decem categoriis, de geometria, de arithmetica, de philosophia: et de solo rythmo, ut ipse ait epistol. 131 libros sex, et deliberabat de melo alios sex scribere, ac ad illorum lectionem invitat non aulicos, non milites, non matrimonio junctos, sed Iulianum Diaconum; cur similibus nostri censorii reformstores non suaderent talium librorum lectionem, sed Thomae de Kempis, vel Rusbrochii aut Harpii et similium? Sunt autem hi sex libri de Musica a S. Augustino scripti, inter ejus opera impressi, magna eruditionis copia e poetis et philosophis hausta respersi. Similia edidit opuscula S. Epiphanius Salaminae Cypri Episcopus, et Paulus Orosius, S. Augustini discipulus, S. Prosper Aquitanus, Marcellinus Comes, Boëtius Severinus Martyr, Aurelius Cassiodorus, S. Dacius Episcopus Mediolanensis, S. Gregorius Turonensis, S. Isidorus Hispalensis, B. Beda, S. Ioannes Damascenus, Paulus Diaconus Aquilejensis, S. Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus, Ado Episcopus Viennensis, B. Petrus Damiani, S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, Otto Frisigensis Episcopus, Iacobus a Vitracio Cardinalis et Episcopus Tusculanus, Vincentius Belluacensis, S. Thomas Aquinas, Aegidius Romanus, S. Thomae auditor, Ioannes Scotus, B. Augustinus Trium-

plus, Alvarus Pelagius, Nicephorus Gregoras, Ioannes Gerson, S. Antoninus, Ioannes Trithemius Abbas Benedictinus, Surius Carthusianus, a vitae sanctitate et doctrina commendatus, et multi alii minus noti, vitae sanctimonia celebres, tam Religiosi quam saeculares.

Cum autem politici nunc libentius audiant sententias ex philosophis moralibus quam ex sacris libris petitas, ut saltem illis juvent hujusmodi auditores et Lectores, nostri concionatores suas conciones, scriptores suos libros talibus etiam sententiis respergunt, pro commendandis virtutibus et vitiis condemnandis, ut modis omnibus utantur ad perditae vitae homines convertendos, bonos autem ad perfectiorem vivendi rationem excitandos, non tantum Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum doctrinis, sed etiam ethnicorum. Et hoc est, quod Spiritus Sanctus in S. Paulo commendat: *Omnibus omnia fieri, ut omnes salvi fiant*[1]).

Ex dictis apparet, valde salutarem esse Ecclesiae Dei et reipublicae christianae laborem, quem multi sancti viri docti subeunt scribendo aut edendo libros ad varias scientias spectantes et argumenta etiam profana tractantes, propter causas supra allatas. Sane, si judicio Ioannis Gersonis, Cancellarii Parisiensis, viri doctissimi, etiam amanuenses, *qui libros utiles ab alius*

[1]) I Cor. IX, 22.

dictatos scribunt vel transcribunt proferendos in lucem, instar concionatorum toti Ecclesiae praedicant et sic scribendo multipliciter eleemosynam largiuntur, et orant et pro peccatis satisfaciunt, sal sapientiae tribuunt, lucem posteris administrant, fontem aquae salientis in vitam aeternam aperiunt, S. Ecclesiam ditant et contra hostes fidei et ignorantiam armant et custodiunt et honorant ac illustrant[1]), multo magis haec conveniunt iis Religiosis, qui post redditas Deo laudes et sacrificia piarum precum et oblationum sacri altaris, totos se impendunt scriptioni rerum salutarium et utilium omni generi et conditioni hominum, iis temporibus, quibus multi otio et vanis sermonibus ac ludicris occupationibus tam pretiosa tempora, nobis ad laborandum a Deo data, consumunt, nullo proprio et alieno commodo, sed cum magna jactura spiritualium lucrorum, quae hujusmodi scriptores innumera colligunt, et animas suas ditant, ac ditando se donis gratiae Deum amplissime glorificant et aliis simul prosunt. Siquidem hos diuturnos nocturnosque labores non alium ob finem quam divinae gloriae propagandae suscipiunt, ut hac ratione homines ad mala proclives a malis arceant, suppeditando iis talia argumenta legenda, quorum lectio multorum peccatorum occasiones et materiam praescindit et subtrahit ac ad meliora inducit, uti

---

[1]) Gerson. De laude scriptorum.

experientia multorum hac ratione ad vitam sancte instituendam traductorum comprobavit. Dum enim librorum non malorum lectio avulsit legentium affectum a lectione et collocutione impura, subit coeleste lumen in magis dispositam mentem ad sanctos eis mores inspirandos, et pio dolo inducit ad vitae probitatem. Quam ut instillarent nostri professores, multa quoque ediderunt poëmata vario carminum genere suaviter in mentem influentia, non plura tamen quam veteres illi christiani poëtae, vitae sanctimonia commendati, noti omnibus, ediderint, praesertim gravissimus S. Ecclesiae Doctor S. Gregorius Nazianzenus, uti apparet in operibus ejus. Et hanc ipsam ob causam S. Augustinus ait se scripsisse *disciplinarum* (scilicet profanarum) *libros, per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire vel ducere.* Eosque ibi recenset: *De musica sex volumina, quantum attinet ad eam partem, quae rythmus vocatur, item de dialectica, de rhetorica, de geometria, de arithmetica, de philosophia.* Et quod magis est, nihil a se iis in libris scriptum retractat. Et ait, ultimos hos quinque libros se Mediolani scripsisse *per id tempus, quo fuit baptismum percepturus, sex de Musica post susceptum baptismum jamque ex Italia regressus in Africam* [1]). Si ergo suae conversionis initio, eo tempore,

[1]) S. Aug. Retr. lib. I c. 6. (Migne P. L. 32, 591).

quo se ad baptismum parabat, quo solent esse homines devotissimi et spiritu ferventissimi, horum librorum scriptioni vacabat, nec ea a ferventissimae praeparationis ad baptismum suscipiendum precibus ac divinarum rerum contemplatione impediebatur, nec has litterarias scriptiones ei tempori judicabat minus convenientes, sed tanquam aptas existimabat, licebit et nobis alia tempora concedere similibus laboribus scholasticis, non exigentia tantam collectionem animi et pietatis studia, quantam exigebat tempus illud, quo se hic S. Doctor ad suscipiendum sacrum baptisma praeparabat. Ob finem enim altissimum divinae gloriae, uti et nos facimus, talibus se scriptionibus impendebat. Nam, ut ait ipse: *Hunc officiosum laborem non ob aliud suscipiendum putavimus, nisi ut adolescentes vel cujuslibet aetatis homines, quos bono ingenio donavit Deus, non praepropere, sed quibusdam gradibus a sensibus carnis atque carnalibus litteris, quibus eos non haerere difficile est, duce ratione avellerentur atque Uni Deo et Domino rerum omnium, qui humanis mentibus nulla natura interposita praesidet, incommutabilis veritatis amore adhaerescerent* [1]). Hoc modo legimus libros gentilium, hoc modo nostros libros et conciones illis quandoque, tanquam sale, propter palatum imperfectorum le-

[1]) S. August. De Musica lib. VI c. 1. (M. P. L. 32, 1161).

ctorum et auditorum, respergimus, ut eos Deo lucremur, non ut curiositatem expleamus et tempus inutiliter expendamus. Mala enim lectio et scriptio et concio vitio non vacat et merito improbata est a Clemente Romano, monente conversos ex gentibus, ne in suae conversionis exordio libros ethnicorum legerent, ut hac etiam ratione illos abduceret magis ab erroribus ethnicorum, tanquam plantas novellas Christi, quibus talis lectio obesse poterat [1]). Nostrorum autem librorum lectio bene in christiana fide fundatis aliisque lectoribus, teste quotidiana experientia, plurimum prodest, et nostris quoque scriptoribus. Nam ut divinitus edocta fuit S. Gertrudis: *Quandocunque aliquis scribit vel alios docet ea intentione, ut laus Dei per hoc promoveatur et profectus animarum, tunc omnis profectus, quem aliquis unquam ex illa scriptura sive doctrina, etiam per mille annorum millia, consequitur, totaliter cedit in illius salutem, qui sua intentione hoc Domino primitus praelibavit* [2]).

Tali autem et non alia intentione scribimus, docemus et omnia alia facimus, quae facimus, ad id exemplo S. P. N. Ignatii edocti et Regula ab eo diserte hac ipsa de re nobis praescripta. Nam quemadmodum ipse, ut dicitur in Bulla Canonisationis ejus Romae impressa, *omnes*

---

[1]) Constit. Ap. lib. I c. 7. [2]) S. Gertr. Sinus div. piet. lib. IV c. 13.

suas cogitationes, verba et opera in Deum tanquam in finem referebat et ad Deum et Dei gloriam et honorem destinabat, ita, teste Ribadeneyra in ejus Vita, *hoc familiare nostris optabat esse, ut Deum rebus in omnibus praesentem cernerent et mentes suas non in oratione tantum ad coelestia attollerent, sed universas res atque actiones singulas in Deum referrent* [1]).

Quapropter, ut id nobis cordi esset, hoc ipsum praescripsit in Constitutionibus, quas Societati nostrae reliquit [2]). *Omnes,* inquit, *rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitae suae statum, verum etiam circa res omnes particulares, et in omnibus quaerant Deum.* Quod ipsum in Summario Constitutionum postea facto, in Regula 17 Summarii nobis inculcatur et quolibet mense publica lectione in memoriam revocatur omnibus unum in locum congregatis.

[1]) Ribad. lib. V c. 1. [2]) Constitut. p. III. c. 1 § 26.

INDEX RERUM,

QUAE IN HOC OPUSCULO CONTINENTUR.

ABSTINENTIA. Abstinentes a carnibus laudantur, nec aliis utentes moderate pro viribus necessariis in auxilium animarum et Ecclesiae ministerio conservandis vituperantur. Pag. 259. Ex abstinentia et jejuniis non est mensuranda perfectio, 262

ACCUSATIO. Discutiuntur accusationes variae, quibus aliqui Societatem impetunt, 264. Accusationes diversae in homine Societatis Iesu et earum refutatio, 257.

ADOLESCENS. Adolescentes erudiendi non tantum in Scripturis divinis, sed etiam ethnicis, 304.

ANGELUS. Archangeli quandoque deputantur in hominum custodiam, 23. An omnes apparitiones, quae Deo adscribuntur in Lege Veteri, factae sint immediate per Deum aut per Angelos in assumptis corporibus apparentes, 91. Tribus modis revelat Deus per Angelos res hominibus, 104. Angelis non simul omnia revelantur, 87. Nec per eos aliis omnia, 102. Angeli quaedam didicerunt ab Ecclesia, 102. A S. Paulo et a S. Petro, 103. Quid possint, quid non, 106. Nihil Angeli possunt nisi per motum localem et applicando activa passivis producere, 110. 112.

APOSTOLUS. Apostolis non omnia simul Deus revelavit, 62. 74. 85.

APPARITIO. Apparitiones plurimae, quibus B. Virgo plurimos e Societate et solari et confortare dignatus est, 197. Apparitiones aliquae factae sunt per Angelos et quae, 91. 97. Sed non omnes; idque patet: Ex Scriptura, 99. Ex SS. Patrum monumentis, 98. Aliis Doctoribus, 98. 101. 102.

ASPERITAS. Asperitatum et macerationum corporis usum cur Societatis Iesu munia non ferant, 257. Asperitate vitae non est mensuranda hominis perfectio, 272.

BENEFICIUM. Plura beneficia spiritualia praestitit immediate Ecclesiae suae Deus per S. Ignatium quam praestiit per Adamum et Salomonem, 117.

BENEVOLENTIA. Benevolentia erga Societatem Iesu personarum illustrium sanctitate vitae et a Sede Apostolica canonisatarum, 209. Benevolentia aliorum nondum canonisatorum in eandem Societatem, 210.

BONUS. Boni non possunt carere tentationibus, 245.

S. BRIGITTA. S. Brigitta jubetur a Christo petere confirmationem Regulae a S. Sede Apostolica, quam tamen Regulam ipse Christus dictaverat, 64. Eidem revelatum est, esse a Deo sibi Regulas revelatas, 65.

BULLA. Bullae Summorum Pontificum, quibus Societatem Iesu confirmarunt, indicant, illud Institutum revelatum fuisse a Deo S. Ignatio, 30 sq.

CAELITES. Caelitum favores erga Societatem Iesu, 193.

CALUMNIA. Respondetur ad calumnias hominum in Societatem obstrepentium, 243. Patres Societatis nunquam quicquam sinistre locuti sunt contra famam et existimationem aliorum Religiosorum, 189. Invidorum calumnia contemnenda, 252.

CANONICUS. Canonici Regulares deputabantur olim ad docendos pueros, 279.

S. CAROLUS BORROMAEUS. Magnopere fovit, amavit et

aestimavit Societatem Iesu. 210. Delectabatur etiam scientiis aliis, quam sacris, 309.

CARO. Carnis esus commendatur a Deo et Sanctis. 260. 262. 263. 267. 272.

CIBUS. Cur esum carnium Societati concesserit S. Ignatius. 227. Cibus parcus et venter semper esuriens jejunio praefertur. 268. Ciborum abstinentia et poenitentiis non est mensuranda perfectio. 262. 265. 267.

CLERICUS. Clericis e Conciliis praecipitur, ut scholas aperiant, 287.

COLOR. Coloris nigri commendatio et usus, 273.

CONCIO. Conciones et libros ethnicorum etiam sententiis et exemplis respergere non dissuadetur, 304.

CONSTITUTIO. Societatis Constitutiones a Paulo III approbatae prius quam factae. 39. et postquam forent alteratae et mutatae, 50. Eas dum scriberet S. Ignatius, multas visiones habuit Divinarum Personarum et Deiparae, confirmantis eas. 10. 57. Quare deliberaverit de illis cum primis Patribus Societatis, 65. In eis quaedam mutari possunt, 65.

CONTUMELIA. Contumelia quando et quibus de causis repellenda, 255.

CUCULLUS. Cucullo cur Societas Iesu non utatur. 273.

DAEMON. Daemon quomodo repraesentat objecta hominibus. 106. Daemon Societatem Iesu persequitur, et quare, 252.

DEUS. Deus revelat quaedam per seipsum immediate sine concursu phantasmatum. 107. Sic revelavit S. Ignatio res Instituti Societatis, 149. Deus varia media diversis Ordinibus et Societati suppeditat, 51. Pro cujusque captu et dignitate dona largitur, 52. Non omnia simul revelavit. 62. 74. Nec revelata statim explicavit omnino et quoad omnia, 75.

DIARIUM. Diarium S. Ignatii a P. Consalvo concinnatum quantae sit auctoritatis, 3 sq.

DISCIPLINA. Disciplina religiosa dispensationibus enervatur, 271. Disciplina perit, ubi moderate non castigantur improbi, 275.

DISCIPULUS. Discipuli in omni scientiarum genere clarissimi prodierunt e scholis Societatis Iesu, 289.

DISPENSATIO. Dispensatio disciplinam religiosam enervat, 271. Locus est dispensationi etiam in rebus a Deo jussis, 68.

DOCERE. Docendi munus utile docenti, 273.

DOMINICANUS. Dominicani deputabant olim Fratres ad munus docendi pueros, 273.

ELIAS. Elias monachorum princeps, 266. Corvi ei referebant panem et carnes mane, similiter et vespere, 266.

ETHNICUS. Ethnicorum sententiis etiam S. Paulus et alii Sancti utuntur, 266.

EXCESSUS. Excessus etiam in materia virtutum vitio non caret, 83.

EXERCITIA. Exercitiorum spiritualium doctrinae fuerunt S. Ignatio divinitus revelatae, 55.

FAMA. Fama apud omnes omnino bona quomodo sit signum vel maximum haud multae virtutis, 252.

FAVOR. Favores Sanctorum erga Societatem Iesu, 193. Favores divini quatuor in Societatem Iesu notandi, 46 De magnis Dei favoribus erga eandem Societatem, 163.

FEMINA. Feminae fama sanctitatis illustres, quae Societatem Iesu coluerunt, 238.

FERTUR. Fertur etiam res indubias significat, 15.

FINIS. Finis praecipuus Societatis Iesu, 33.

FUNDATOR. Fundatores Ordinum Regulas acceperunt a Spiritu S. dictatas, 34.

GABRIEL. Gabriel non scivit omnes Incarnationis circumstantias, 94. Incarnationem annuntians Mariae apparuit in humana forma, 96.

GENERALIS. Generalatus cujuscunque Ordinis religiosi

non est necessario conjunctus cum titulo Fundatoris, 81.

IEIUNIUM. De jejunio et a carnis abstinentia, 257. Iejunia nimia noxia, 259. Moderata placent Deo, 260. 267. 269.

S. IGNATIUS. Explicatur modus, quo Deus immediate per se, non per Angelos, revelavit S. Ignatio res Instituti Societatis Iesu, 104. Recensentur eae res Instituti, quae immediate a Deo ipsi S. Ignatio revelatae sunt, 133. Qua ratione S. Ignatius cum primis Patribus deliberaverit Romae de Societate instituenda, 154. Datus fuit in tutelam Archangelo, 23. Donum habuit prophetiae, 168.

INCARNATIO. Incarnationis mysterium non solum per Angelum fuit B. Virgini revelatum, sed magis immediate per Deum, 93. 96. Incarnationis mysterium an angelico solo ministerio revelatum sit B. Virgini, 93. Incarnationis mysterium revelavit Deus Adae distincte et explicite, 101.

INSPIRATIO. Inspiratio quandoque significat perfectam revelationem, 86.

INSTINCTUS. Instinctus Dei aliquando vera revelatio, 36. Non semper, 70.

IULIANUS APOSTATA. Iulianus Apostata vetuit, ne Christiani liberalibus litteris et scientiis discendis ac docendis vacarent, et quare, 311.

LIBELLUS. Libellus repudii concessus a Moyse 67.

LIBRI. Librorum copia pueris dissuadetur, 298. Libri profani poetarum et historicorum conducunt ad intelligentiam et interpretationem Scripturae Sacrae, et quomodo legendi sint, 304. Librorum editio seu scriptio salutaris est labor et utilis Ecclesiae, 315.

MAGISTER. Magistri non nisi probis moribus et eruditione spectata scholis praeficiantur, 287.

B. V. MARIA. B. Virgini Mariae pro custodia deputatus fuit Gabriel Archangelus, 23. B. Virgo S. Ignatio

Constitutiones non revelavit, sed scriptas et scribendas confirmavit, ab eo prius ex divino lumine conceptas, 150. B. Virginis in Societatem Iesu patrocinium multiplex, 193.

MIRACULUM. Miraculose et modis extraordinariis ad Societatem vocati recensentur, 177. Miracula quaedam admiranda aut etiam stupenda, quae in Societate reperiuntur. 182.

MISSA. Missam die sequenti legendam S. Ignatius pridie legebat in Missali, quoties erat eam dicturus, 60.

MODESTIA. Modestia et humilitas quandoque non permittunt Sanctis aliis dona Dei manifestare, 88.

MONACHUS. Monachalem habitum Clericis gestare non licet, 277. Monachi praefuerunt olim scholis ad eruditendos pueros, 287.

MONITUM. Monita Ioannis Amos Comerii ad instruendam recte juventutem, 296.

NIGER. Nigri vestis encomia, 273.

ODIUM. Odium auctoris in Societatem, quamdiu existebat in saeculari statu, 187.

OPUS. Opera non coacta melius succedunt, 80.

PASCHA. Pascha celebratum mense secundo ab Ezechia, 69.

PERSECUTIO. Persecutiones in laetis numerandae sunt, et quare, 245. Persecutiones a quinque classibus hominum Societas patitur, 246.

PERSECUTOR. Persecutores et calumniatores magni sunt amici, qui nobis suppeditant occasiones meritorum, 249.

S. PHILIPPUS NERIUS. S. Philippus Nerius magnopere fuit Societati Iesu addictus, 225. Ad S. Ignatii consilium in rebus dubiis confugere solebat, 226.

POENITENTIA. Poenitentiae convenit vestis nigra, 274.

PRAEDICTIO. Praedictio S. Ignatii Antverpiae facta, 14. Praedictio a S. Ignatio Barcinone facta, 27.

PROFANUS. Profanis libris et doctrinis etiam Sancti vacaverunt, 304.

PROPHETIA. Illustratio prophetica perfecta in quo sita sita sit, 29. Ad eam quae requiruntur, 111.

PUER. Puerorum et adolescentium institutioni se impenderunt viri sanctitate et doctrina conspicui, 279.

REGULA. Regulae religiosorum ordinum a Spiritu S. stabilitae, 34. Regulae Pachomio et Posthumio per Angelos traditae, 57. 124.

RELIGIOSUS. Religiosorum impugnatores sunt judicio S. Thomae ministri diaboli, 247. In oraculo Alexandri Papae filii Satanae, 219. Religiosi maxime sunt idonei ad educandam juventutem. 287.

REVELATIO. Ad propheticam cognitionem, quae fit Deo aliquid intrinsece revelante, quaenam requirantur, 111. Causae cur Deus non per Angelos sed immediate per se S. Ignatio Institutum Societatis revelaverit, 113. Recensentur res Instituti, quas Deus S. Ignatio revelavit, 133 sq. Revelatum est S. Ignatio Institutum multo ante Societatem inchoatam, 1 sequ. Diversae Regulae per Angelos revelatae, 57. Non solet Deus revelare nisi res majoris momenti, 62. Patefecit Deus prophetis veritates non omnes simul, sed successive per partes, 86. Revelavit Deus Adae mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, 101. Modus, quo Deus revelavit S. Ignatio res Instituti Soc. Iesu, 104. Inspiratio quandoque significat perfectam revelationem, 36.

SACERDOS. Sacerdos cum vitae sanctimonia scientiarum etiam profanarum cognitionem jungat, 304.

SACRIFICIUM. Sacrificium olim Deo revelante fieri debebat in certo loco, tamen dispensatum est aliquando quoad hoc, 68.

SAECULARIS. Saecularibus dum instruimur, in spiritualibus adjuvamur, 312.

SANCTI. Sancti coelestes suo patrocinio Societatem illustrarunt, 204.

SCRIPTOR. Scriptores ecclesiastici veteres quomodo ethnicos expugnarint, 306.

SCRIPTURA. Scriptura Sacra non intelligitur absque scientiarum aliarum peritia, 305.

SIXTUS. Sixti V. tempore impugnatum irrito conatu Institutum Societatis Iesu, 45.

SOCIETAS IESU. Institutum Soc. Iesu quoad substantialia et quaedam non substantialia S. Ignatio divinitus est revelatum et ab eo prophetice praedictum multo antequam Societatem Iesu Parisiis inchoasset et Romae fundasset, 1. Idem confirmatur auctoritate Summorum Pontificum, 30. Idem confirmatur ratione, 50. Solvuntur objectiones, 61. Explicantur supradicta et confirmantur magis, 85. Explicatur modus, quo Deus immediate per se, non per Angelos revelavit S. Ignatio res Instituti Societatis, 104. Recensentur eae res Instituti Societatis, quae immediate a Deo ipso S. Ignatio revelatae sunt, 133. De magnis Dei favoribus erga Societatem Iesu, 163. De Coelitum favoribus erga Societatem Iesu, 193. De benevolentia erga Societatem Iesu personarum illustrium sanctitate vitae et a Sede Apostolica canonisatarum, quae primo saeculo Societatis floruerunt, 210. De aliorum nondum canonisatorum Sanctorum erga Societatem Iesu benevolentia, 229. Responsio ad ea, quae Societatis hominibus objiciuntur. 243. Cur Societati nigra vestis placuerit, 273. Quare cucullos non habeat, 273.

SPECIES. Species imaginationis quid sint, 105. Intelligibiles necessariae sunt ad cognitionem intellectualem, 110.

TABERNACULUM. Tabernaculum Moysis in variis locis fuit, 69.

S. TERESIA. S. Teresia exemplo, verbis, scriptis suis

Societatem Iesu mirifice commendavit et honoravit, 215.

TRIBULANS. Tribulantes nos non sunt inimici, 254.

SS. TRINITAS. SS. Trinitatis et Incarnationis mysteria Deus Adae revelavit, 101.

VACILLANS. Vacillantes in sua vocatione quam severe puniat Deus, 241.

VESTIS. Vestis nigra luctum insinuat et mentis humilitatem, 272.

VESTITUS. Vestitum peculiarem cur non habeat Societas, 273.

VISIO. Visio perfectissima est, quae fit sine similitudine rerum corporearum. 122.

S. XAVERIUS. S. Franc. Xaverius judicavit, Institutum Societatis esse divinitus a Deo traditum, 19.

A. M. D. G.

Cura et labore sumptibusque Provinciae Galicianae S. J. edi coepta est anno 1883 recens et emendata editio „Operum V. P. Nicolai Lancicii S. I.“

Prodierunt jam in lucem sequentia opuscula:

1. *De Recollectione octiduana*, seu Meditationibus rerum divinarum recte peragendis, praesertim in recollectione octiduana. (Opusculum spir. VI). Parvum 8vo; pag. XII. 427; - Pretium: 1·65 flr. — 3·30 M. 3·50 francs.
2. *De mediis conservandi Spiritus* — seu de mediis ad virtutes initio vitae spiritualis acquisitas postea conservandas et augendas. (Opusc. spir. V.). Parvum 8vo: pag. VIII, 351. — Pretium: 1·36 flr. 2·70 M. 3 francs.
3. *De exteriore corporis compositione* hominibus spiritualibus necessaria seu de minimis in Dei obsequio curandis. (Opusc. spir. II). Parvum 8vo; pag. XIII. 226; - Pretium 1 flr. 2 M. — 2·20 francs.
4. *De praci Divinae praesentiae* et orationum jaculatoriarum ac variis orandi Deumque pie colendi modis. (Opusc. spir. XI). Parvum 8vo; pag. VIII, 458; - Pretium: 2 flr. — 4 M. — 4·25 francs.
5. *De Praestantia Instituti Societatis Iesu.* (Opusc. spir. XVII). Parvum 8vo; pag. VIII, 331; - Pretium: 1·35 flr. — 2·70 M. — 3 francs.
6. Jam est sub prelo sextum opusculum: *Gloria S. P. Ignatii* et brevi in lucem prodibit.

Edidimus etiam nuper duo opuscula R. P. Ioannis Polanci S. I.:

1. *Directorium breve* ad confessarii et confitentis munus rite obeundum. Iuxta modo vigentes censuras correctum. Parvum 8vo; pag. 148; — Pretium: 0·90 flr. — 1·80 M. — 2 francs.
2. *Industriae* ad usum doctrinamque Operariorum ac Missionariorum Societatis Iesu. Pretium: 0·25 flr. — 0·50 M. — 0·60 francs.

Nb. Pro obtinendis hisce omnibus opusculis inscribantur epistolae:

Directio Apostolatus Orationis, Cracoviae (Cracovie) rue Kopernik 26 — Austria — Galicia.

Sumptibus Ordinis S. J.

060.154
L226
6524

LANCICIUS, NICHOLAI

AUTHOR

De Praestantia Instituti Societatis Jesu

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

6524